De

statu febrium nervoso

in genere

commentatio

analytico-nosologica.

Auctore

Josepho Ernesto Ryba.

D i s s e r t a t i o
i n a u g u r a l i s m e d i c a
sistens

Commentationem analytico-nosologicam

de statu febrium nervoso in genere,
quam sub auspiciis
Reverendissimi ac Celsissimi Principis
Domini Domini

Wenceslai Leopoldi Equitis Chlumczansky

de Przestawlk et Chlumczan,
Dei gratia Archiepiscopi Pragensis, sedis apostolicae per inclytum Regnum Bohemiae, nec non per celeberrimas Bambergensem, Misnensem et Ratisbonensem Dioeceses legati nati, Caes. Reg. Ordinis Leopoldini Magnae Crucis Equitis etc. etc., Inclyti Regni Bohemiae Primatis, suae Caesareo-Regiae Apostolicae Majestatis Consiliarii intimi actualis, almae et antiquissimae Carolo-Ferdinandeae Universitatis Pragensis Cancellarii perpetui et studiorum Protectoris etc. etc.;

s u b R e c t o r a t u
Reverendissimi, Amplissimi, Perillustris ac Doctissimi
Domini

Josephi Antonii Köhler,

S. Militaris Ordinis Crucigerorum cum Rubea Stella per Bohemiam, Ungariam, Austriam, Poloniam, Moraviam et Silesiam Generalis ac Magni Magistri, Regni Bohemiae Praelati Infulati, Incl. Ordinum Regni Bohemiae ac aulicae in haered. investig. Commissionis Delecti, AA. LL. et Philosophiae Doctoris, Studii Philosophici Caes. Reg. Directoris et Praesidis Facultatis Philosophicae, Caes. Reg. per Bohemiam Gymnasiorum Supremi Directoris optime emeriti, Senatus Academici in Publicis et Politicis Assessoris, Almae ac Antiquissimae Caesareo-Regiae Carolo-Ferdinandeae Universitatis Pragensis
h. t.
Procancellarii et Rectoris Magnifici;

sub Directoratu

Magnifici, Perillustris, Celeberrimi ac Doctissimi

Domini

Ignatii Nadherny,

Medicinae Doctoris, artis obstetriciae Magistri, ad Inclytum Regni Bohemiae Gubernium Consiliarii Caesareo-Regii Actualis, per Bohemiam Protomedici, Medicinae forensis et Politiae medicae Professoris publici et ordinarii optime emeriti, Celeberrimae Facultatis Medicae Praesidis, atque Studii Medici Directoris etc. etc.

Decano

Illustri, Spectabili, Celeberrimo ac Doctissimo

Domino

Joanne Theobaldo Held,

Medicinae Doctore, artis obstetriciae Magistro, Nosocomii fratrum Misericordiae Physico, Senatus Academici in Publicis et Politicis Assessore, Candidatorum pro suprema Doctoratus Medici Laurea Examinatore;

coram

Caesareo-Regiis in eadem Facultate

Dominis Professoribus

ac

tota celeberrima Facultate

publicae Eruditorum Disquisitioni submittit:

Josephus Ernestus Ryba,

Czechus Rožmitaliensis, pro suprema Doctoratus medici Laurea Candidatus et instituti clinici ophthalmologici Assistens.

Theses in adnexas disputabitur in aula Carolina hora decima, die 31. mensis Augusti MDCCCXXIV.

De

statu febrium nervoso

in genere

commentatio

analytico-nosologica.

Auctore

Josepho Ernesto Ryba,

Medicinae Candidato, instituti clinici ophthalmologici Assistente.

Pragae:

Typis Sommerianis.

1824.

Reverendissimo ac Celsissimo

Domino Domino

Wenceslao Leopoldo

Dei Gratia

Archiepiscopo Pragensi

Sedis Apostolicae per inclytum Regnum Bohemiae, nec non per celeberrimas Bambergensem, Misnensem et Ratisbonensem Dioeceses Legato Nato, Principi, Equiti Chlumczansky de Przestawlk et Chlumczan, Caes. Reg. Ordinis Leopoldini Magnae Crucis Equiti etc. etc. Inclyti Regni Bohemiae Primati, suae Caesareo - Regiae Apostolicae Majestatis Consiliario intimo actuali, almae et antiquissimae Carolo - Ferdinandeae Universitatis Pragensis Cancellario perpetuo et studiorum Protectori etc. etc.

Domino Domino Maecenati

ac

Patrono suo Gratiosissimo.

Reverendissime ac Celsissime Princeps!

Archipraesul ac Domine Domine Gratiosissime!

Magna cum verecundia, neque sine aliquo animi angore, hasce studiorum meorum primitias Tuo Celsissimo Nomini dicatas et sacratas esse institui; anxius enim verebar, ne munusculum, meo quidem judicio leve, quod Tibi, Reverendissime ac Celsissime Princeps venerabundus devoveo, Tua Celsitudine, Tuaque praeclara Virtute indignum existimaretur. Ast vero tanta est Tibi summae animi magnitudinis et praestantissimorum operum gloria, quae meis praeconiis minime indigeat, tanta denique gratiosissimae humanitatis et benignitatis consuetudo, unde, grati piique animi testimonio Tuam Clementiam non defuturam esse, haud parum spei mihi adfulgeat.

Grati animi officia sanctissima sunt, simulque dulcissima, quae ideo violari nisi ab homine pravissimo atque omnino efferato nequeunt. Equidem summam voluptatem adepturus sum, si me omnia mea Tibi, Celsissime Princeps debere palam profiteri liceat.

Parentes meos carissimos singulari semper favore et gratia es prosecutus; bis in summas rerum angustias adductos ac desperationi proximos benignissime servasti, erexisti, Tuoque beneficio salvos et laetos mihi reddidisti. Tanti beneficii memoria simul cum pia parentum fato praematuro oppressorum recordatione, altissimo mihi in animo residet, neque, quoad haec mens vigebit, unquam delebitur. Tandem Tua magnifica munificentia uberrime ad-

jutus id adsecutus sum, ut, siqua mihi est artis medicae notitia et dexteritas, iis mihi jam pro generis humani, patriae, ipsiusque artis commodo fungi liceat.

Recusas apertam grati animi ac pietatis testificationem? — Diu renuebas pro singulari Tua modestia, imo fortissime obstabas. Ast non haec vilis adulatio est, a qua nunquam non abhorrui, sed candidi ac sinceri animi significatio, quam Tibi, Reverendissime ac Celsissime Princeps omnium bonorum consensu venerabundus offero. Millenos intueor, qui paterna Tua beneficentia sustenti ac foti taciturnis precibus ac votis Tuam incolumitatem a Deo optimo maximo flagitant. Exorabunt certe, exorabo egomet quoque, omnem-

que operam navabo, ut tot ac tantis beneficiis liberalissime in me collatis, Tuaque gratiosissima de me exspectatione dignus, me ex animo semper medicum vere Christianum civemque optimum exhibeam. Adnue pio voto, fave-reque perge

Reverendissime ac Celsissime Princeps!

Domine Domine Gratiosissime!

Tuo

devinctissimo clienti
Josepho Ernesto Ryba.

P r a e f a t i o.

Juvenilem laborem excusabit peritorum sapientia. Me in hocce opusculo concinnando omni studio et amore ac summa, quae legi Augustae debetur, religione versatum esse, aequo et tranquillo animo profiteor: quid autem optima mea voluntas profecerit, sapientes videbunt.

Errores, qui subrepserunt, tironis medici sunt, auctoritate carent, neminem seducent: fortasse docentibus opportunam solidae admonitionis atque institutionis occasionem praestabunt, quo facilius imposterum evitentur.

Si qua in alios animosius dicta videantur, ea spero fore, ut minime arrogantiae, quae a me aliena est, sed candido veritatis amori tribuantur. Neque mihi enim opiniones aliorum refutanti ea confidentia est, ut me ipsum ab omni lapsu immunem credam:

Vel me monere hoc, vel percontari puta:
Rectum est? ego ut faciam; non est? te ut deterream.

Superest, ut cel. DD. Profess. Fischer, Fritz, Jokliczke et Krombholz, quorum supellectili literaria adjutus sum, gratias quam maximas agam.

Auctor.

Prolegomena.

Potior scientiae medicae pars eo spectat, ut affectionibus corporis humani recte cognitis atque distinctis justa aptentur remedia. Quae vero remedia singulis corporis humani affectionibus conveniant, ex diversis tum affectionum, tum remediorum momentis suspicamur: certissime tamen per experimenta in aegris ipsis instituta comperimus.

Experimentum medicum, ne fructu suo fraudetur, ea, quorum indoles et mutua actio exploranda sunt, morbus nempe, eique oppositum remedium cum omnibus, quae morbum immutare valent, accuratissime determinentur ac describantur necesse est, ita quidem, ut idem morbus, si denuo occurrat, facile cognoscatur, eidemque experimento materiem praebeat, tamdiu repetendo, donec veritas constans elucescat [1]).

---

[1]) „Nullum unquam experimentum, administratio nulla semel debet institui; neque verum innotescit, nisi ex constante repetitorum experimentorum eventu. Plurima sunt aliena, quae se in experimenta immiscent: discedunt ea in repetendo, ideo quia aliena sunt, et pura supersunt." A. de Haller Elem. Physiol. Tom. I. p. 5.

Cum non pauca sunt, quae ab elapsorum seculorum medicis animadversa et infinita fere experientia comprobata ad nos pervenerunt, iis primum nos potiri atque ita frui decet, ut non minus vitae sanitatisque humanae securitati, quam scientiae artisque nostrae incrementis prospectum sit.

Operae pretium esse videbatur, ac tirone medico haud indignum, undique colligere, quae in medicorum scriptis dispersa, varie tradita et controversa occurrunt; eaque simul cum propriis quibuscunque observationibus ex omni parte sedulo examinata, absterso commentorum fuco, proponere, ut ex iis, quae ab aliis praestita hucdum innotuerant, facilior et securior ad ulteriora experiunda progressus pateret. Quarum lucubrationum particulam, de statu febrium nervoso in genere, eruditorum disquisitioni trado.

Propriam cuique morbo mutationem organismi subesse, omnes consentiunt. Hanc alii morbi essentiam, alii causam proximam seu continentem nuncuparunt. Quae, ubi certo sciri potest et revera patet, medicum in explicando symptomatum nexu, valore et dignitate, ac dirigenda medendi ratione egregie juvat. Qui ab hac Pathologiae provincia maxime abhorrent, ii sunt, quibus, ut ait Verulamius, os facile oblinitur, si quid novum aut extra experientiae calles tritos occurrat.

Pessime nihilominus de arte nostra atque adeo salute humana consultum foret, si morbos neque certo cognoscere, neque tuto auferre liceret, nisi perspecta eorum essentia. Plurimorum enim causae proximae non sensus modo, sed omne ingenii humani acumen effugiunt. Cognoscuntur ii tamen accuratissime, aptisque cedunt vel omnino vitantur remediis: haud se-

cus ac in vita communi innumeras nobis res innotescere, quotidie impune tractari sollertissimeque in usus nostros converti videmus, quarum penitior natura seu essentia nos utique latet. Interna etenim morborum officina licet altissima prematur caligine atque in ipso Naturae adyto posita esse videatur, tamen mutationem organismi abnormem vix exserit, quae non peculiari functionum turba, corporis qualitatum depravatione, alienata organismi ad res externas ratione aliisque phaenomenis stipata sit, quorum ope morbus, si non penitus internam suam naturam nobis spectandam praebet, eo tamen usque explorari poterit, ut ab omni alio distingui, apteque tractari queat.

Empiricam cognitionem ad magnam certitudinem ac soliditatem excoli posse, neque illis, quibus excogitandis nimium impensum est, opinionum subtilitatumque fumis opus fuisse, quotidie edocemur. Quinimo, si qua scientiae medicae inest certitudo et soliditas, ea omnis ex empirica cognitione rite exculta profecta est. Nam morbi specie et sanationis modo empirice stabilitis et confirmatis conjectura de morbi essentia ultro manat. Morbi cujusdam speciei nondum empirice firmatae theoriam exstruere, ineptum est.

Empiricae status febrium nervosi determinationes utplurimum vagae, vagis theoriis ansam dederunt, quarum pleraeque potius ad ipsam febrem nervosam, quam ad hunc statum pertinent. Quibus vero haec de statu febrium nervoso doctrina plurimum debet, cel. V. ab Hildenbrand et F. L. Kreysig ab hypothesi caute abstinebant. Neque est, quod novam quampiam theoriam venditemus, neque inutiles aliorum hypotheses eruditae ostentationis gratia ruminemur. Quapropter in hocce opusculo omnem empiricae status febrium nervosi determinationi operam dicamus.

Nulla unquam morbi species ex uno alterove phaenomeno attentius considerato elucet. Phaenomena enim non pauca plurimis morbis, iisque inter se diversissimis communia sunt; alia vero in uno eodemque morbo adsunt vel desunt, quin illius essentia inde mutetur. Ergo non singula phaenomena, sed phaenomenorum combinationes cuique morbo propriae externas affectionum imagines constituunt. Omnia igitur, quae de morbo quodam haberi possunt, phaenomena inquirenda, comparanda atque in distinctam morbi effigiem combinanda sunt: quod cum in cujusvis morbi diagnosi instituenda maxime necessarium est, tum magis etiam oportebit, ubi de specie quadam minus cognita vel confuse tradita accuratius constituenda agitur.

Veteres potissimum eo lapsi sunt, quod in constituenda morborum specie non totum phaenomenorum complexum, sed vel unum alterumve symptoma, vel eminentem morbi causam, vel aliud phaenomenon singulare tuerentur, quo factum est, ut vel morbi indole diversissimi ob commune quoddam symptoma in unam speciem conjicerentur [1]), vel idem morbus individuus propter symptomatum quorumdam discrepantiam in diversas partes citra veritatis legem discerperetur [2]).

---

1) E. g. Typhus Hippocratis; quo nomine quinque morbi diversae indolis comprehenduntur. V. Hippocr. de internis affectionibus. Opp. sect. V. p. 553. ed. Foes. Genevae 1657.

2) Ita Lethargus, Aphonia, morbus cardiacus, aliique affectus tamquam morbi sui generis a veteribus propositi, membra morborum distracta potius quam ipsos morbos referunt.

Hunc errorem etiam a recentioribus quibusdam Nosologis minus, quam par erat, evitatum esse, dolemus, iis maxime, qui omnem morborum ambitum in systema artificiale redigere conati sunt. Systema artificiale, paucis characteribus superstructum, in plantarum etc. classificatione opportunius aut certe tolerabilius est, siquidem plantae cujuslibet natura individua sponte elucet, quam in quolibet morbo non sine magno labore atque erroris periculo eruere et demonstrare debemus. Quapropter in morborum classificatione methodus systematica naturalis artificiali tamdiu praestabit, donec singulae et omnes corporis humani adfectiones quoad naturam suam individuam satius exploratae fuerint. [1])

Alii se omnino satisfacturos putabant, si unum alterumve phaenomenorum genus attentius considerarint. Ita nonnulli theoria quadam ducti sola symptomata [2]), alii nonnisi causas [3]) e. s. p. respicere jubent.

---

[1]) Longe absum, ut viris clar. Sauvages, Rud. Vogel, Cullen, Swediaur etc. laudem derogare velim, aut in eorum abeam sententiam, qui omne morborum systema, quin et Nosologiam omnem rejiciunt, asserentes et contendentes, exceptis quibusdam morbis contagiosis, syphilide, scabie, variolis, scarlatina etc. reliquos omnes tamquam innumeras a lege sanitatis deviationes charactere constantiori carere. Multifariam morborum adfinitatem, innumeras varietates atque insensiles alius in aliam transitus praetexunt. Idem tamen in omni rerum natura obtinet, cujus historia methodo systematica egregie juvatur.

[2]) Cel. S. Hahnemann.

[3]) Incitabilistae quondam.

Ast enimvero quidquid circa morbi originem, decursum, mutationes, eventus etc. sensibus percipi potest, morbi est phaenomenon, et peculiarem meretur attentionem. Ea sunt:

1) Symptomata, quorum ambitus omnis, successio, synchronismus, vicissitudines, stadia, mutuus inter se nexus etc. potissimam delineandis morborum imaginibus materiem largiuntur. Si qua magis lateant, ea vel artificio quodam innoxio provocanda, e. g. ascitis fluctuatio, ossium fractorum stridor; vel armatis sensibus observanda, e. g. specillis chirurgicis, microscopio, stethoscopio etc.

2) Morborum producta ex omni parte examinanda et probe distinguenda, e. g. pus, ichor, mucus abnormis, serum, lympha coagulabilis, varia concrementa, parasiticae productiones etc., quorum magna pars vel in anatomia pathologica, vel in historia naturali, vel in zoochemia recensetur. Magni quoque aestimanda est contagiorum disquisitio, non hypothetica quidem, sed exprimentalis, quoad illorum vehicula (humores illis impraegnatos), proprietates physicas, vim relativam sedulo aetatis, sexus, corporis animique constitutionis, morborum praesentium vel praegressorum, aliarumque conditionum ipsi contagioni faventium vel adversarum ratione habita.

3) Morborum ad organismi vitam et valetudinem relatio. Morborum terminationes et exitus, quoad sciri possunt, omnes notentur, frequentissimi consignentur et conditiones eruantur, quibus praesentibus hi illive contingant. Investiganda porro morbi cujuslibet ratio ad corporis animique evolutionem, sanitatem, temperamentum [1]), remanentem in hunc

---

[1]) Sic per febrem flavam temperamentum sanguineum

illumve morbum dispositionem. Huc recidivae etiam, aliique morbi secundarii et posthumi referendi sunt. Mutua quoque diversorum morborum inter se relatio observanda, qui vel se invicem tollunt, vel immutant, vel vario modo sibi conjunguntur.

4) Mutationes in demortuorum cadaveribus repertae ac sedulo cum praegressis phaenomenis comparatae egregie non raro morbi naturam illustrant; neque est, quod signis anatomicis morbi naturam minus quam ipsis symptomatibus seorsim spectatis manifestari credamus. Phaenomena sunt, quorum usus in concreto quidem, uti dicunt, nullus est, quibus tamen recte adhibitis diagnosis in posterum mirum quantum acuitur. In constituenda morborum specie praecipuam sibi partem vindicant.

5) Juvantium et nocentium effectus inter praecipua morborum phaenomena locum merentur. Nam morbi natura non iis solum phaenomenis, quae sponte eveniunt, sed magis etiam mutationibus a medico conscio ex industria productis manifestatur, quemadmodum et physicae vires legesque experimentorum ope certius quam mera observatione extricantur. Apposite ergo hunc in locum Baco de Verulam [1]): „Quemadmodum," inquit, „ingenium alicujus haud bene noris aut probaris, nisi eum irritaveris, neque Proteus se in varias rerum facies vertere solitus est, nisi manicis arcte comprehensus; similiter etiam natura arte irritata et ve-

---

cito in cholericum permutatur. Mittheilungen über das gelbe Fieber in dem Magazin der ausländischen Literatur der gesammten Heilkunde von J. H. Gerson und N. H. Julius. III. Bd.

[1]) De dignitate et augmentis scientiarum lib. II. cap. 2. p. 119. Lugd. Batav. 1652. 12mo.

xata se clarius prodit, quam cum sibi libere permittitur." Hujus methodi exploratoriae usus pathologicus magna utique circumspectione indiget, ipsoque artis salutaris scopo in limites restringitur quam arctissimos. Quod autem medicis scientibus patrare non licet, id vel casu, vel artis vitio, vel humani judicii lapsu insciis atque invitis subinde evenit: agyrtis vero, mulierculis aliisque hominibus audaculis et imperitis semper licuit, quorum damna si alioquin reparari non possunt, eo saltem compensari aequum est, ut ejusmodi praxeos eventus, quoad fieri potest, accuratissime notentur. Simul medicorum omnis aevi observationes, experimenta in animalibus instituta etc. consulantur. Juvantium et nocentium nomine non medicamina solum, sed omnes, quibus morbi immutantur, potentiae comprehenduntur.

6) Ad morborum phaenomena etiam conditiones manifestae pertinent, quibus praesentibus et concurrentibus morbi generantur: causae morborum remotiores. Morbi enim adeo separati non existunt, quin cum praeviis organismi statibus et externis potentiis cohaereant. Status organismi morbum proxime praecedens eminentem saepius in hunc dispositionem, ejus tamquam seminium continet. Quilibet praeterea morbus, qua oriatur, peculiari rerum externarum conditione indiget. Specialis organismi in morbos dispositio, et variae rerum externarum positiones morbis procreandis idoneae suis quoque phaenomenis distinguuntur; quae quidem phaenomena non ideo plane repudienda sunt, quod saepius deficiant, vel magis delitescant, vel morbi possibilitatem potius quam praesentiam indicent, nec unquam per se sola morbi diagnosin omnino absolutam praebeant: hoc unum cavendum, ne causis morborum obiter examinatis major, quam par est, fides habeatur, ne-

ve huic aut illi morbi occasioni cognitae, alias negligentes acquiescamus: imo enixe adlaborandum, quo locupletissima accuratarum observationum inductione nexus morborum causalis ex omni parte perlustretur. Ergo variae ad morbos dispositiones habita aetatis, sexus, temperamenti, corporis habitus, vitae generis, consuetudinum, morborum praegressorum, haereditariae constitutionis, idiosyncrasiae ratione sedulo exploretur; causarum quoque occasionalium: alimentorum, medicaminum venenorum, aëris inspirati, somni et vigiliae, motus et quietis, vestitus, domicilii, soli natalis etc. noxae determinentur. — Certe exactiori morborum aetiologia, qualis adhuc desideratur, in natura morborum empirice constituenda plurimum praestari posset.

Tot ac tanti manant Nosologiae fontes, qui priusquam singuli exhausti fuerint, non est desperationi locus: multominus autem nos, magnis Nosologiae difficultatibus commotos vel hypothesi quadam seductos, a recta via methodi empirico-rationalis desistere eorumve fide omnino suspecta decipi oportet, qui metam artis a se confestim occupatam jactitantes aut omnem methodum empirico-analyticam fastidiunt, aut ad artem quamdam compendiariam et automaticam invitant.

Phaenomena, quae ad unius morbi essentiam pertinent, invisibili quodam vinculo sibi juncta, ad legem quamdam composita et combinata sunt, quae combinationis lex seu formula nonnisi ex locupleti plurimarum et accuratissimarum observationum inductione recte extricari potest. Collecta igitur undique, quotquot haberi poterunt, morbi cujusdam phaenomena primo inter se, in singulo quoque casu, sedulo comparentur, mutuusque eorum nexus notetur; inde ad plurium casuum impigram et completam comparationem adscendere licebit,

quo pacto aliena et accidentalia, quae se in singulas observationes immiscent, sensim disparebunt, et phaenomena necessario sibi combinata, hujusque combinationis lex cuique morbo propria remanebunt. Morbi species hoc modo empirice constituta aliis cognitionibus physiologicis, pathologicis, philosophicis etc. aliunde notis egregie illustrari potest, dummodo eae cognitiones justa experientia ac sana argumentatione firmatae, morbo illustrando aptae sint. Talis morbi cujusdam explicatio, vera ac sincera, laudabili T h e o r i a e nomine digna est. Methodus autem ex singularibus observationibus abstractionis ope ad conceptus et formulas generales progrediens a n a l y t i c a audit, quae sola in naturae scientia vere h e u r i s t i c a est. Eam methodum in hocce opusculo secuti sumus.

Alia quaestio est, quomodo haec solida morborum cognitio artem medicam exercentibus accomodari debeat, ut morbos non solum intueri, verum etiam, quod omnis hujus scientiae caput est, recte sanare possint?

Talem Nosologiae accommodationem p r a c t i c a m m o r b o r u m c o g n i t i o n e m dicunt, eamque a theoretica plane diversam esse putant; quod autem ne tunc quidem adfirmaverim, si c o g n i t i o n e m t h e o r e t i c a m cum h y p o t h e t i c a confundere placuerit, cum practica etiam, quae hucusque praesto est, morborum cognitio hypothesi plane non careat. Aliquam tamen utriusque differentiam esse lubens concedo.

Morbus quilibet processum sistit organicum abnormem, qui temporis successu diversorum statuum evolutione ad finem quemdam pergit. Medico inde practico in casu concreto nunquam omnia simul morbi phaenomena offeruntur, quaecunque in Nosologia tam-

quam essentialia ejusdem symptomata recensentur. Problema erit, momenta diagnostica, prout quovis morbi tempore haberi possunt, ita seligere et disponere, ut reliqua absentia vel obscura quam facillime mente compleri queant, haud secus ac in aenigmate paucis quibusdam, iis tamen sufficientibus attributis *res aliunde nota* indicatur.

Abnormes organismi status in cujusvis morbi evolutione succedentes tantopere non raro inter se distant, ut diversa, imo et contraria medela, semper vero aliqua therapiae modificatione indigeant.

Tandem prudentis medici est, non solum praesentem morbi formam cognoscere, verum etiam futuros ejus exitus, qui in quolibet morbo varii esse possunt, praevidere; imminens periculum ab aegro pro viribus avertere, vel saltem, si removeri nequeat, praesagire.

Quae ergo Nosologia eo signorum selectu atque apparatu promtuario instructa est, unde morbus ipse, singulique status morbosi inter illius evolutionem sibi succedentes, ii potissimum, qui propriam medentis cautionem aut curam peculiarem exigunt, tempore sanationi opportuno cognosci discernique accuratissime, et futuri quoque morbi eventus praevideri possint: ea utique usui medentium accommodatissima et vere pragmatica nuncupari poterit, quam tamen a quacunque alia Nosologia *accurata* rerum docendarum dispositione ac methodo potius quam re ipsa differre, nemo non videt.

Haec Nosologiae pertractandae methodus medicis practicis utilissima, morbi speciem jam alias empirice constitutam supponit. Ejus scopus non est, e singularibus observationibus veritatem generalem eruere, sed

contra generalem veritatem aliunde notam ad casus singulares reducere; est inde quaedam methodi syntheticae species. Plenam et distinctam morbi effigiem, et, si qua praesto est, theoriam praemittit, exinde ad casus specialiores descendit, singulos pro medentium necessitate disponit, iis maxime animadversis et attentius lustratis, qui peculiari medici cautione ac providentia indigent, intextis quoque hinc inde aenigmatibus medicis, iisque tunc vel solutis vel etiam pro re nata remissis. Orditur itaque, ubi methodus analytica desierat; res adventitias, quibus excernendis illa occupatur, amplius non recipit, sed cuncta jam defaecata et perfecta proponit. Plurima etiam, quamvis minime accidentalia sed ad firmandam morbi speciem adprime necessaria sint, quae tamen usui practico minus serviunt, sicco pede transit vel prorsus silentio tradit. In succincta morbi descriptione ordinem servat ad ipsius naturae cursum accuratissime effictum simulque discentibus ac medicinam facientibus commodissimum. Methodus analytica alio prorsus ordine phaenomena recenset: ea nempe ubique nectit, quae aliquam comparationem sustinent, ea praemittit, quae ultro patent et reliquis lucem affundunt.

Status nervosus in febribus momentum omni medicorum practicorum attentione et cautione dignum sistit, quod, ubicunque ad febrem accedit, ibi peculiarem quoque medelae rationem sibi vindicat: a plerisque medicis tanti aestimatum, ut proprio febrium generi exinde constituendo suffecerit. Cum itaque ad hanc status febrium nervosi disquisitionem me accingerem, operam me practicis medicis non inutilem suscepisse putabam. Hanc tamen de statu febrium nervoso

doctrinam a plerisque desertam reperi [1]), nostris potissimum temporibus, ubi inflammationes et inflammatiunculae, nec immerito, omnem fere medicorum attentionem abripiunt. Ante omnia generalem hujus status notionem adstruere ac firmare oportebat, quae mihi nondum satis empirice determinata esse videbatur. Hinc analytica disquisitionis methodus erat seligenda. Singula dein synthetice resumere et practica methodo proponere, diversas status febrium nervosi formas ad naturam depingere, tandem plenam et concinnam status hujus therapiam addere institutum erat, opusculi inauguralis limites tamen vetabant, cum disquisitiones analyticae, quae praemitti debuerant, sub manibus in majorem, quam par erat, molem increvissent. Opusculum itaque minus practicum, minus quoque discentibus accommodatum esse, a nemine me culpatum iri credo. Ipsam vero hanc analyticam disquisitionem mendis non carere, quibus propter otii angustiam occurri non potuerat, ipsemet sentio ac valdopere doleo. Nondum tamen omnino ab hoc opere discedo, quod denuo recognitum, maturiori consilio atque experientia probatum et praxi magis proficuum, fore, ut peritorum quoque opprobriis minus obnoxium sit, spero.

---

1) Quodsi egregias Max. Stollii, V. ab Hildenbrand, F. L. Kreysig de hocce statu animadversiones hinc inde dispersas excipiam, quibus me omnia paene debere lubens confiteor, status febrium nervosus parum adhuc seorsim spectatus est. Qui autem de hocce statu in genere et ex professo egerit, neminem novi.

Quaedam de statibus morbosis.

Duo in quolibet morbo distinguere fas est:

1) Processum organicum abnormem seu continuam abnormium organismi mutationum evolutionem ex viribus organicis aliquomodo laesis progredientem.

2) Statum morbosum seu abnormem vel totius organismi vel singularum ejusdem partium conditionem (Zustand) in morbi decursu aliquo temporis intervallo absque notabili mutatione persistentem.

Hanc processuum et statuum morbosorum dictinctionem formalem tantum minimeque realem esse confiteor, cum status morbosus fere nil sit, nisi processus ipse morbosus quodam temporis momento constitutus. Optime enim, nihil in rerum natura, quod sensibus percipi possit, ejus esse constantiae novi, ut vel minimo temporis momento immutatum prorsus permaneat: ast intervallis temporis minutissimis minutissimae rerum permutationes respondent, quae cum propter minutiam omnem mentis humanae aciem effugiant, insigniores saltem et constantiores rerum permutationes, velut quasdam continui circuli institiones discernere licebit, imo et oportebit, siquidem processus morbosi ratio et quasi regula nonnisi ex distincta singulorum statuum notitia elucescit. [1])

---

[1]) Quodsi nobis cujusdam remotioris analogiae copia detur, erit processus morbosus curvae lineae instar, cujus linea directrix statum organismi normalem exprimat, abscissae sint temporis intervalla, ordinatae status morbosi seu singulae organismi a statu normali deviationes.

Status morbosi methodo scientifica vel empirica pertractari possunt, quas ita definiunt, ut methodus scientifica ex universa naturae philosophia et proinde ex ipsa physiologia principia sua repetat, a sanitatis perfectae idea ad morbos possibiles, ab interna simplicis affectionis essentia ad externam ejusdem formam et cum aliis adfectionibus compositionem progrediatur: methodus empirica formas morborum et statuum morbosorum ex singularibus observationibus abstractionis ope colligat, indeque ad conceptus magis generales simplici ac sincera ratiocinatione adscendat [1]).

Utcunque in vera Pathologia exoptatissimum sit utriusque methodi connubium, status tamen morbosi in Pathologia generali potissimum scientifice perlustrantur, in Pathologia speciali vero morborum descriptionibus inserti adeo plerumque sibi invicem intricati exhibentur, ut vix clare discerni possint. Praeterea in Pathologiae generalis compendiis ii tantum status morbosi exponuntur, qui ad distinctam simplicis cujusdam affectionis ideam reduci possunt, et tamquam remotissima morborum elementa considerari debent. Qui autem in praxi occurrunt status morbosi, compositi plerumque sunt, neque semper plane ex essentia sua liquent e. g. status inflammatorius, nervosus etc. Ejusmodi status compositi neque in generali neque in speciali Pathologia hucusque seorsim ac satis attente considerati sunt.

Haud leve omnis morborum curationis momentum est, ut virium vitalium totiusque morbi conditio

---

[1]) Ph. C. Hartmann. Theoria morbi. Vindobonae 1814. §. 24 et 25.

seu status quovis morbi tempore diligentissime exploretur, cui singularis semper medici cura adaptari debet, quod tamen fieri non poterit, nisi singulae cujusvis morbi mutationes, singuli, quos in decursu suo inire solet, anfractus sedulo notentur et distinguantur. Curiosa igitur statuum morbosorum distinctio praeterquam quod praeclare morborum progressum, directionem et mutationes indicat, praecipuas quoque indicationes therapeuticas largitur; quorum tamen distinctio non ex quacunque symptomatum differentia, sed ex omnibus illis momentis, quibus empiricam morborum cognitionem niti diximus, recte perpensis atque dijudicatis statuenda est, eorum maxime, qui experientia teste, peculiares indicationes therapeuticas necessario sibi vindicant.

Status morbosi itaque omnino digni sunt, qui seorsim attentius spectentur, inter quos status febrium nervosus cum argumenti gravitate, tum disceptationum celebritate quodammodo eminet.

Praevia status febrium nervosi notatio.

Quando rem aliquam plurimis maximisque controversiis ac disceptationibus obnoxiam fuisse comperimus, tunc de ipsa rei notione minus inter litigantes constitisse, haud temere suspicari licebit. Id, quod etiam de statu febrium nervoso valet.

Plurimi medici, rem ex nomine determinantes, statum nervosum quamcunque eminentem systematis nervosi adfectionem esse contendunt. De signis hujusce status interrogati, symptomata, quae ex cognitis

nervorum functionibus pendent, deliria, spasmos, convulsiones, tremores etc. adferunt.

Latissima haec notio diversissimorum statuum multitudinem continet. Systema nervosum enim vario ac diverso modo affectum esse potest. Symptomata illa, quae vulgo nervosa dicuntur, in subjectis sensibilioribus ex levissima et non raro mere sympathica nervorum adfectione oriuntur. Supra satis evictum esse putamus, unicam symptomatum observationem nulli morborum aut statuum morbosorum speciei constituendae sufficere. Quodsi itaque hanc status nervosi determinationem admittere lubeat, cavendum est, eam ne maxime generalem et ambiguam esse obliviscamur, cui nulla indicatio therapeutica peculiaris superstrui debeat, neve eam vel ob nominis communitatem vel propter aliquam symptomatum analogiam febri nervosae explicandae idoneam esse credamus.

Ridiculum videtur, tantam a me nomini vim tribui, quae sola rebus diversissimis confundendis et commiscendis sufficeret. Historiam scientiae medicae testem appello. Vetustiores medici eum statum, qui constantissimus febrium malignarum comes est, nervis imputandum esse credebant, quem neque ex sanguinis effervescentia, neque ex humorum dyscrasia, neque ex theoria quacunque tunc temporis trita explicare poterant 1). Status nervosi nomen immutatum ad nos pervenit, sed quot et quam diversas interpretationes

---

1) Febris nervosae denominationem non a medicis sed ex ipsa plebe profectam esse, pluribus argumentis probare adnititur H. M. Marcard, über die Natur und den Gebrauch der Bäder. Hannover 1793. p. 201.

hucusque subiit! Plerique in eo versabantur, ut demonstrarent, quid status febrium nervosus esse debeat, ut vere nervosus dici possit. Omnes tamen status nervosi determinationes ad febrem nervosam adplicatae sunt.

Status febrium nervosus plurimorum medicorum consensu ita dictus, an recte sibi nomen habeat, nec ne, nostra minime interest; maxime vero, num is status sit discretus atque in rerum natura obvius, quaeritur.

Communissimum est, ut eum dicant statum magnae virium vitalium debilitatis cum actionibus systematis nervosi anomalis et incongruis, febribus quibusdam e. g. pesti orientali, typho contagioso familiarem, sed aliis etiam quibuscunque febribus gravioribus, neglectis vel male tractatis supervenientem.

Statum hunc minime imaginarium esse, sed revera in praxi occurrere, experientia docet.

Strictior autem hujus status definitio, omnibus ejus phaenomenis diligenter examinatis, ad calcem hujus commentationis satius liquebit.

Historia status febrium nervosi.

Status febrium nervosus inde ab Hippocratis temporibus optimis quibusque medicis innotuit et vario nomine descriptus est [1]). Febris helodes ob

---

[1]) Hodierna huic statui denominatio a nullo Veterum indita est. Romani nervosos sensu plane contrario dixerunt homines viribus quammaxime pollentes, ro-

sudorem colliquativum ita dicta, F. alysmodes cum magna anxietate decurrens, F. lipyria, in qua externa frigent, interna calore nimio uruntur, aliaeque plurimae febres ita describuntur a Veteribus, ut in illis status nervosi vestigia facile invenias. Pestis vera, toties a Veteribus descripta statu nervoso vix unquam caret. Quin et Typhus contagiosus, systemati nervoso infensissimus, etiamsi falso Pestis nomine, Veteribus innotuit [1]). Haud paucae observationes, quae olim ad Phrenitidem referebantur, proprie ad statum febrium nervosum erethisticum pertinent, cum Phrenitis Veterum omnem febrem acutam cum delirio vehementiori comprehenderit [2]). Statum Phrenitidi e diametro contrarium [3]) statuunt Lethar-

---

bustos, torosos. Ipsa vox nervus (*το νεῦρον*) a Veteribus sensu ambiguo usurpatur. Hippocrati non sensus motusque organa tantum, sed etiam ossium ligamenta, tendines etc. *τα νεῦρα* vocantur. Celsus quoque hac voce ligamenta ossium manifesto indicat. (lib. VIII. c. 11. p. 543. ed. Almeloveen. Basil. 1748. 8.) Apud Hippocratem *οἱ τόνοι* nervos nostros propius designant. V. A. Foesii Oecon. Hippocr. v. *το νεῦρον*.

1) V. cel. A. Wawruch antiquitates Typhi contagiosi. Viennae 1812. 4. Typhi tum epidemici tum sporadici historiae occurrunt in libris epidem. Hippocratis e. g. lib. I. Sect. III. aeg. 2. 10. lib. III. Sect. I. aeg. 1. 2. 3. Sect. II. aeg. I. etc.

2) Cf. Foesii Oecon. Hippocr. h. v. Max. Stoll plane ad pristinam Veterum sententiam redit in Rat. med. Tom. III. p. 204. 206.

3) Celsus l. c. lib. III. c. 20. p. 158. Aretaeus Cappadox de curatione acutorum et diuturnorum

gum, cujus nomine satis aperte eum statum significabant, qui hodie status febrium nervosus torpidus audit [1]). Antiqui medici, qui methodum febribus me-

---

morborum lib. I. c. 2. p. 149. Ed. A. de Haller. Lausannae 1772. 8. Paulus Aegineta in Medicinae totius enchiridio lib. III. c. 9. p. 142. Basil. 1551. 8. etc.

1) Miror hoc praetervisum esse a doctissimo Ch. G. Gruner, qui Lethargum tamquam plurium morborum genus, Catochum, Catalepsin, Carum et Coma qua species Lethargi proponit (Morborum antiquitates. Vratisl. 1774. p. 260. sqq.). Ejusmodi stricta classificatio a Veteribus longe aliena est. Sed tanto viro absque argumentorum pondere repugnare non decet, praesertim in re tam gravi et commentationis nostrae scopum proxime attingente. Lethargum Veteres nusquam symptoma quoddam solitarium dicunt, sed constanter qua morbum sui generis aut certe qua statum quemdam morbosum satis accurate describunt, quod de reliquis illis adfectibus soporosis praedicari nequit, minime de comate et caro, quae plerumque ad mera symptomata rejiciuntur. Plerique Lethargum Phrenitidi contrarium faciunt. Lethargi descriptiones, quae quidem in libris Hippocraticis occurunt, etsi non omnino sibi congruae (Cf. Hippocr. de morbis lib. II. p. 484 et lib. III. p. 488 et Coac. praenot. aph. 139. p. 137), Lethargum tamen constanter qua morbum proprium aut statum morbosum manifestant. Graphica ejus morbi descriptio, quam serioris aevi medici secuti sunt, exstat in Coac. praenot. aph. 139: „Qui Lethargo conflictantur, ex manibus tremunt, somnolenti sunt, male colorati, tumidi, pulsus habent tardos et lentos et genas infra oculos

dendi solam fere antiphlogisticam callebant, aliquas tamen esse febres animadverterant, quae communi illa methodo adeo non emendarentur, ut citius inde in pejus ruerent. In iis febribus quamdam naturae pravitatem incusabant, quae optimos medicorum conatus eluderet (το κακοήθες). Doctrina de febrium malignitate a Galeno magis exculta est, qui inter illius notas maxime essentiales refert vires vita-

---

sublatas; sudores superveniunt, alvique subtumescunt, impotentes sunt, ac biliosa effundunt. Etsi resiccatae fuerint, urinae alvique recrementa clam (inscie) prodeunt, urinae jumentorum similes. Neque potum neque aliud quidquam postulant. Mentis vero compotes facti de cervicis dolore conqueruntur, ac sonitus per aures impetu ferri sentiunt." Posterioris aevi medici Lethargo notam febrilem addunt. Galenus (lib. praesag. ex pulsu IV. 8. p. 302. Tom. VIII. ed. Charter.): „Humidae intemperies cerebri molles pulsus diuturnitate efficiunt, ac hominem comatosum. Si ad illas accesserit febrilis calor, morbus appellatur Lethargus." Paulus Aegineta in ejus morbi descriptione Hippocratem sequitur; febrem Lethargo semper comitem „lentam quamdam et ignavam febriculam" (l. c.) nominat, simulque Carum a Lethargo distinguit: „Carus aliis morbis symptomatis instar supervenit, febrium puta exacerbationibus, morbis comitialibus, calvariae fracturis etc. Verum Lethargus peculiarem quamdam constitutionem habet" Vetustus definitionum medicarum auctor (apud Foesium v. Λήθαργος) Lethargum „non sine ipsarum solidarum partium et pulsifici spiritus imbecillitate in debili ac maligna febre existere" contendit.

les mox a febris initio prostratas, indolem quamdam subdolam, inter symptomata ad speciem levia inopinato vitae periculo aegros opprimentem, cum crisibus vel deficientibus vel perquam inordinatis. Idem venaesectionis noxam in ejusmodi febribus ostendit, et peculiarem febris malignae speciem constituit, quam Synochum putrem nominavit. Sed debilitatis verae et spuriae discrimen tunc temporis nondum satis exploratum ac determinatum erat [1]), porro non eadem omnibus medicis inopinato eveniunt, et subdola morbi indoles saepe immerito culpatur. Hinc febrium malignitas, praesertim medii aevi medicis frequens evasit refugium, et febres cujuscunque generis graviores malignae esse credebantur. Galeni dogmata usque ad seculi XVI. primordia summo in arte nostra imperio potita, tunc demum novis inventis physicis, chemicis, anatomicis, physiologicis etc. fortius excuti coeperunt. Antea medici, methodo antiphlogistica exantlata, febres naturae committere consueverunt, neque fere malignitati ullo modo occurrere ausi sunt, de qua prorsus desperabant. His audaciores posteri, nova medicaminum tunc primum inventorum penu freti, invitantibus simul crebris epidemiis pestilentialibus, statum malignum fortiori methodo aggressi sunt. Maximam tunc laudem methodus alexipharmaca, excitans et sudorifera vehementior adepta est. Nam venenati [2]) quiddam febri-

---

1) Aliqua tamen hujus rei notitia Veteribus denegari non potest. Hippocrates (de rat. vict. in morb. acut. p. 597 et passim) et Galenus (de locis affectis lib. V. c. 6. Tom. VIII. p. 493.) utriusque debilitatis discrimen luculenter innuunt.

2) Exprimunt hanc opinionem denominationes pestis fe-

bus malignis inesse, quod nonnisi vehementissimis expelli medicamentis possit, opinio tunc vulgatissima erat. Felices methodi excitantis effectus in quibusdam febribus observati et rudes Chemiatrorum theoriae effecerunt, ut medici adamatae methodi gratia malignitatis limites ultra modum extenderent. Accessit hoc damnum, quod febres omnis generis inflammatoriae, gastricae etc. ab omni malignitate immunes, jam non, ut antea, naturae committerentur, sed methodo violenta alexipharmaca perperam tentarentur. Quapropter Th. Sydenhamus [1]) „opinionis de malignitate inventionem, humano generi longe ipsa pyrii pulveris inventione lethaliorem" fuisse conquestus est. Jam enim febres contagiosae et exanthematicae omnes praeter alios morbos quamplurimos hunc in censum veniebant. Cum novi interim, neque antea cuiquam cogniti scientiae medicae fontes severiori anatomiae, physiologiae etc. studio reserati essent, tum systematis nervosi quoque per ingeniosum virum Th. Willis egregie illustrati partes in morbis procreandis animadverti ac diligentius pensitari coeperunt. Idem vir sagax febrium symptomata, quae maxime systemati nervoso affecto debentur, luculenter indicavit [2]), atque a turbis syste-

---

briumque malignarum tunc temporis obviae: virus napellinum, aconitale, arsenicale, etc. V. Th. Willis, Diatribe de fermentatione et de febribus. cap. 12. p. 221. Amstelodami 1663. 12.

[1]) Opera medica. Tom. I. p. 570. Genevae 1749. 4.

[2]) Th. Willis Pathologiae cerebri et nervosi generis specimen; de morbis convulsivis. c. 8. p. 102. Amstelodami 1668. 12. Cf. Ejusdem Diatribe de febribus. c. 10. p. 183 sqq.

matis sanguinei in febribus obviis sedulo distinxit [1]). Eum in primis statum nervosum attentius considerat, qui deinde primarius dictus est: „At vero praeter adfectiones spasmodicas febribus epigenomenas et secundario excitatas observare est interdum, in maligna aëris constitutione, etiam a contagii pestilentis afflatu, liquorem nervosum sanguine prius, aut ab eo seorsim infici. — Aegrotantes enim de calore aut siti minime conguesti, cito debiles et quasi enerves facti, crebrae vertigini, nec non artuum tremoribus ac velut exilitionibus, insuper musculorum ac tendinum subsultibus et contracturis atque doloribus hinc inde vagis statim obnoxii fiebant. Hujusmodi aegritudo a quibusdam medicis febris maligna hectica appellatur." [2]) Hanc tamen febrem malignam hecticam ab ea febre, quae serius febris lenta nervosa dicta est, ne hilum quidem differre, uberior illius febris anno 1661 epidemice grassatae descriptio (p. 105 sqq.) luce clarius arguit. Prima itaque status febrium nervosi primarii idea ex febris lentae nervosae observatione orta est. En doctrinae de febribus nervosis natales, quae serius per Manninghamum [3]), Ed. Langrish [4]), Eben. Gilchrist [5]) maxime vero

---

[1]) Quas intemperiem febrilem vel etiam sanguineam nuncupat. Diatr. de febr. c. 14. p. 245.

[2]) De morbis convulsivis c. 8. p. 103.

[3]) The symptoms, nature, causes and cure of the febricula or little Fever. Lond. 1755. Ed. II.

[4]) The modern theory and pract. of. Phys. Lond. 1764 Ed. III.

[5]) Medical Essays and Observations by a Soc. of Edinb. Tom. IV. n. 25. et Tom. V. n. 48.

per J. Huxhamum [1]) exculta est. Notandum tamen, febris nervosae nomen a primis hujus doctrinae auctoribus non tribui nisi uni solique speciei, cujus vivida ac vere classica descriptio a J. Huxhamo [2]) febris lentae nervosae titulo memoriae prodita est.

Methodo antiphlogistica per Th. Sydenhamum, Fr. Hoffmannum, H. Boerhavium, A. de Haen in pristinam suam dignitatem restituta, morborum malignitas in angustiores iterum limites recessit, cui exterminandae aut limitandae operam quoque suo modo navarunt J. G. Brendel, Max. Stoll, A. G. Richter, recentioris theoriae gastricae auctores, qui, perlustrata pathogenetica tubi intestinalis dignitate, symptomata terribilia, maxime nervosi generis [3]), ipsamque phrenitidem [4]) non raro ad solius status gastrici effectus sympathicos redire docuerunt. Tandem febris malignae nomen e systemate morborum fere disparuit, cujus locum febris nervosa et febris putrida impleve-

---

1) Liber de febribus cap. 6 et 7 in Opp. Tom. II. p. 75. sqq. ed. Reichel. Lipsiae 1764. 8.

2) L. c.

3) A. G. Richter. Von der Heilung der Nervenfieber durch Purgiermittel, in dessen hinterlassenen neuen medicinischen und chirurgischen Bemerkungen. Berlin 1813. 8. p. 27, nec non p. 135.

4) M. Stoll tractatus de causa et sede Phrenitidis, in ejusdem Rat. med. Tom. III. p. 175. sqq. Viennae 1780. 8.

runt [1]), maxime contribuente Ch. G. Selle [2]), qui febrem nervosam, quam atactam [3]) dixit, his verbis difinivit: „Magna atque praeternaturalis partium irritabilitas et sensibilitas. Febris inordinata nec continens, neque regulariter remittens. Symptomata nervosa nec inter se neque causis manifestis respondentia." In hac definitione duo sunt maximi momenti characteres, nempe praeter manifestas systematis nervosi turbas quaedam decursus et symptomatum irregularitas, quae nonnisi ex profunda organismi laesione constantissimas ejus leges pervertente intelligi potest: deinde nexus fere deficiens inter statum nervosum et communiores causas morbificas manifestas. Simul febris nervosae fines proferuntur, jam enim plurimae febres praeter lentam nervosam huic generi subjiciuntur. Merito autem objici possit, plurimas febres nervosas esse sine magna irritabilitate et sensibilitate. Gu. Cullen febres continuas omnes virium vitalium ratione, in tria genera divisit: Synocham magnis viribus vitalibus pollentem, Typhum ex virium imminutione profectum, et Synochum febrem ex Synocha et Typho

---

1) Utrique tamen denuo malignam superaddit Ch. F. Elsner, (Beiträge zur Fieberlehre. 2te Aufl. 1. St. p. 57. Königsberg 1794. 8.) ob subitaneum nec opinatum virium collapsum cum fallaci symptomatum lenitate.

2) Rudimenta Pyretologiae method. Berol. 1789.

3) Vox Hippocrati jam familiaris de iis, quae praeter normam et ordinem eveniunt. Primus autem Th. Sydenham (Opp. Tom. I. p. 133 et 261 sqq.) Ataxiae nomine statum quemdam nervosum a depravatis humoribus alienum insignivit.

compositam, initio Synocham, progressu et versus finem Typhum. Omnes paene febres malignas, nervosas et putridas communi Typhi nomine comprehendit [1]), earumque essentiam in vera virium vitalium debilitate positam esse adfirmavit. J. P. Frank in determinando febris nervosae genere, cui etiam febrem putridam subjunxerat, tum systematis nervosi validius adfecti, tum virium vitalium dejectarum rationem habuit. Systema nervosum autem in hac febre duplici modo a statu normali aberrare observavit: quod utpote vel nimia et in motus anomalos proclivi sensibilitate, vel eadem imminuta et stupefacta peccat; indeque duplicem febris nervosae speciem, febrem nervosam versatilem atque stupidam statuit [2]). Locales inflammationes, ipsiusque febris characterem inflammatorium febri nervosae subinde, praesertim ab initio accedere, non negat; omnem statum inflammatorium tamen ceu alienum a febris nervosae natura separat atque ad hujus complicationes ablegat [3]). Status febrium nervosi notio, habita virium vitalium, ac diversae receptivitatis ratione utique veritati propior atque distinctior proponitur. Febris nervosa tamen fere omnis ad ve-

---

[1]) Gu. Cullen, Apparatus ad Nosologiam methodicam. Amstel. 1775. 4. p. 155. sqq.

[2]) De curandis hominum morbis epitome. Lib. I. §. 82. 86. 87. 88. Venetiis 1797. 8.

[3]) L. c. §. 90. Ch. G. Selle in febre nervosa praeter plurima alia etiam remedia temperantia, balnea frigida, imo et venaesectionem commendat. P. Frank venaesectionem in febre nervosa, qua tali, plane proscribit. §. 95.

rum statum nervosum restringitur, reliquis ejusdem attributis ad solas complicationes rejectis, unde ipsius febris nervosae notio totalis magis magisque evanuit. Eo tandem res venit, ut febris inflammatoria et nervosa non aliter sibi opponerentur, quam virium excessus et debilitas, unde utriusque nomen, praesertim inter Brownii asseclas, sensim abolevit. Febres quaecunque nervosae et putridae in generalem febrium asthenicarum ordinem cum plurimis aliis febribus [1]) conjectae, neque nisi secundum astheniam directam vel indirectam distinctae sunt. Symptomatum, adfectionum localium, stadiorum nulla ratio habita. J. Ch. Reil triplicem in febribus virium vitalium statum supponit: Synocham, auctam irritabilitatem (receptivitatem) cum illaesa actionum energia; Typhum irritabilitatem auctam cum imminuta energia; Paralysin, utramque, tum irritabilitatem, tum energiam, prostratam [2]). Febres nervosas nil esse nisi dynamicas systematis nervosi adfectiones, quae diverso virium vitalium statu, itaque vel Synochae vel Typhi vel Paralyseos charactere polleant [3]). Eas febres tantum nervosas genuinas esse voluit, in quibus solum systema nervosum febre i. e. quapiam adfectione dynamica occupetur: febres vulgo dictas nervosas status esse e diversorum organorum et systematum organico-

---

1) E g. gastricis (quas penitus negarunt), exanthematicis, nec paucis inflammatoriis eo magis, quod virium suppressionem s. debilitatem spuriam non admittebant.

2) Ueber die Erkenntnifs und Cur der Fieber. I. Bd. §. 136. Halle 1797.

3) L. c. IV. Bd. §. 54. p. 136.

rum febribus conflatos, quod certe nemo infitiabitur, quicunque superficiali febris definitioni a viro ceteroquin egregio propositae [1]) applauserit, quam eo usque extendit, ut transitorias quoque et superficiales nervorum adfectiones ad febrem nervosam deferat [2]). Ph. Pinel [3]) ad Sellii distinctionem febris atactae redit, quocum symptomata nervosa, sibi incongrua, et decursum irregularem ceu signa hujus febris characteristica ponit. Addit characterem verae debilitatis cum exaltata sensibilitate. Febrium ataxiam plerumque secundariam, nonnunquam tamen quoque primariam esse statuit, atque exemplo firmare conatur [4]). Recentiorum plurimi in theoriis febris nervosae effingendis potius quam in Nosologia ejusdem stabilienda sibi placebant. Uti enim de philosophica, quam dicunt, ejus febris constructione acerrimae decertationes, imo et inhumanissimae altercationes suscitatae sunt: ita mira

---

[1]) L. c. I. Bd. §. 19.

[2]) „Auch transitorische Nervenkrankheiten, z. B. Convulsionen und Phantasien, die sich dem Ausbruch der Pocken zugesellen, sind Nervenfieber; aber sie allein und nur so lange als sie da sind." L. c. IV. Bd. p. 137. Ast cedo, quodnam febrium genus a febre nervosa immune erit? In summis vir egregius angustiis versatur, ubi de febre nervosa a qualicunque nevrosi discernenda manifesto ambigit: l. c. p. 136. Cf. I. Bd. p. 36.

[3]) Nosographie philosophique. Tom. I. p. 89. sqq. Paris an VI. Cf. Dictionnaire des sciences médicales. Tom. II. p. 419. sqq.

[4]) Nosogr. philos. Tom. I. p. 99.

quaedam ejusdem febris describendae et ex signis suis empiricis determinandae licentia invaluit et incuria.

Variae, quas hucusque adduximus, febris nervosae determinationes proxime ad statum febrium nervosum spectant, imo magis etiam quam ad febrem ipsam nervosam a plerisque Nosologis ex solo statu nervoso derivatam ac determinatam, reliquis ejus attributis vel omnino praetervisis, vel ad accidentales complicationes ablegatis.

J. V. ab Hildenbrand [1]) magnam febrium nervosarum partem, eas imprimis, quae febrium castrensium, carceralium, pestilentialium etc. nomine veniunt, maxima circumspectione omnibus momentis essentialibus perpensis illustravit atque omnium primus [2]) exinde morbum sui generis exanthematicum et a reliquis febribus nervosis diversum, Typhum contagiosum, empirice constituit, ad naturam sollertissime depinxit, optimamque ei medendi rationem praemonstravit. Quae antehac ad accidentalia febris nervosae phaenomena reposita, vel etiam praetervisa sunt, primum post invasionem Typhi contagiosi stadium

---

[1]) Ueber den ansteckenden Typhus nebst einigen Winken zur Beschränkung oder gänzlichen Tilgung der Kriegspest und mehrerer anderer Menschenseuchen. Wien 1810. (2. Aufl. 1815.) 8.

[2]) Viri summi famae nil derogat, quod Roboretus quidam ducentis abhinc annis axiomata similia pronunciasse dicatur a cel. A. Omodei. (Ejusd. Ann. univers. di Medicina. Anno 1822 vol. XXIII.) Pleraque jam ante cel. Hildenbrand innotuerant, nunquam tamen intuitu adeo multiplici ob oculos posita, tot ac tantis argumentis firmata atque unita constabant.

irritativum seu inflammatorium, exanthema peculiare, membranarum mucosarum adfectiones etc. ad ipsius morbi essentiam spectare, definitam stadiorum ac decursus normam, quin et crises plus minusve manifestas Typho competere, statum nervosum autem in hac febre communissimum semper secundarium i. e. ipsius febris typhosae effectum esse, atque a statu nervoso aliarum febrium comite tum propria symptomatum caterva, tum eo potissimum differre, quod rarius artis auxilio, quam proprio naturae nutu et repentina nonnunquam virium sopitarum explosione per crises plus minusve solemnes una cum febre auferatur [1]), ab eodem sincero naturae observatore edocti sumus. Statum febrium nervosum seorsim [2]) spectavit, atque egregiis observationibus illustravit. Eum ex sola debilitate existere ac vere primarium esse negat [3]), etiamsi ejus character maxime essentialis sit vera virium vitalium debilitas [4]), una cum charactere quodam febribus peculiari, febrili universim dicto [5]).

Ingens febrium nervosarum numerus, Typho contagioso ex earum ditione emancipato, repente maximam partem corruit. Infinitum foret, omnium rationem reddere, quae posthac a sollertissimis quibusque medicis praestita proprie ad typhum contagiosum illustran-

---

1) L. c. p. 58. sqq. Cf. Ejusdem rat. med. in schola pract. Vindob. Tom. II. p. 214. sqq. Viennae 1813. 8.

2) Idem jam prius factum est a Max. Stoll, (Aphorismi de cognoscendis et curandis febribus. Vindob. 1786. aph. 716.) et Ch. F. Elsner l. c. p. 56. 59.

3) Rat. med. Tom. I. p. 239 — 247.

4) L. c. p. 237.

5) L. c. p. 249.

dum pertinent. Satis nota sunt cel. virorum C. Ph. Hartmann[1]) E. Horn, C. W. Hufeland, J. J. Reufs, J. R. Bischoff, G. Wedemeyer, Ch. H. Dzondi, J. Armstrong aliorumque de Typho contagioso merita. Scopum nostrum propius attingunt cel. E. Horn[2]), J. J. Reufs[3]), P. Kolbany[4]) etc. experimenta, quibus evictum esse videtur, stadium nervosum Typho contagioso non adeo essentiale esse quod non methodi antiphlogisticae, et praesertim superinfusionum frigidarum matura et apta administratione omnino praeverti possit. Inter recentissimos auctores cel. F. L. Kreysig viam rationalem simul et experimentalem ingressus, plerasque cel. V. ab Hildenbrand de statu febrium nervoso animadversiones justa conclusione comprobat et auget. Ejus doctrinae potissima capita sunt: Prima cujusque febris origo in systemate vasorum radicatur, omnis itaque febris ab origine vasculosa (Gefäfsfieber) est[5]). Febris nervosa primaria non existit[6]). Status febrium nervosus praeter profundam et essentialem systematis nervosi laesionem[7])

---

1) Qui jam anno 1807 veram Typhi contagiosi ideam et probabilem theoriam professus est. (Med. chir. Zeit. Jahrg. 1807. Beilage zu Nro. 45.)

2) Archiv für med. Erfahrung. Jahrg. 1811. I. Bds. 3. Hft.

3) Wesen der Exantheme. I. Th. Das Fleckenfieber oder die Kriegspest. Aschaffenburg 1814. 8.

4) Bemerkungen über den ansteckenden Typhus etc. Presburg 1811.

5) Handbuch der praktischen Krankheitslehre. II. Th. 1. Abth. §. 189. Leipzig 1819. 8.

6) L. c. §. 190.

7) L. c. §. 189.

febrem vasculosam illi essentialiter copulatam et tamquam illius matricem necessario involvit [1]). Proximus illius profundae systematis nervosi laesionis aut labis (Zerrüttung) effectus est resolutio quaedam ejus antagonismi, qui in statu normali inter systema nervosum et sanguineum obtinet, indeque fluens mira symptomatum totiusque decursus irregularitas [2]).

Statum nervosum ex una alterave systematis nervosi parte eminenter affecta progredi, plurimorum opinio est. Non pauci veram systematis nervosi inflammationem, saltem in typho contagioso, supponunt. Omitto opiniones: satis erit, varietatem status nervosi nuper a cel. Schönlein [3]) observatam indicasse, cui eminens systematis gangliosi affectio subesse videtur. Minori hucdum attentione medici in Typhi sporadici formas inquirebant; grato itaque animo accipienda sunt, quae ad promovendam hujus morbi notitiam a cel. C. F. Pommer [4]) ex sedulis cadaverum sectionibus adferuntur.

Status febrium nervosi Aetiologia.

Haud immerito jam pridem inter notas status febrium nervosi peculiares relata est anomalia sympto-

---

[1]) L. c. §. 206. p. 561.

[2]) L. c. I. Th. p. 224—226. 310. II. Th. p. 322. 359.

[3]) C. Meuth, über das Fieber im Allgemeinen und dessen besondere Formen. Mainz 1822. 8. p. 48.

[4]) Beiträge zur nähern Kenntnifs des sporadischen Typhus, und einiger ihm verwandter Krankheiten, gegründet auf Leichenöffnungen. Tübingen 1821. 8.

matum neque sibi vicissim, neque causis manifestis respondentium.

Profecto nonnunquam sanissimi homines citra evidentem morbi occasionem hoc statu tam inopinato adfligi ac repente in tanta vitae discrimina redigi solent, ut plane non mira sit antiquorum medicorum superstitio, quibus hoc extra communem rerum nexum et ordinem vel divino nutu (*το θεῖον*) vel naturae pravitate evenire videretur.

Alias homines valetudinarii, exhausti, decrepiti, ac plurimis, quae vulgo incusantur, status hujus causis obnoxii fere ab omni morbo immunes persistunt.

Aetiologia status febrium nervosi obscura adhuc et diffiicultatibus plena est; etsi aliqua saepius inter hunc statum et potentias externas harmonia intercedat.

Subitanea virium vitalium strages, qua homines antea sani interdum praeter manifestam occasionem mulctantur (quae scilicet ad statum febrium nervosum spectat), hucdum vix nisi in quibusdam febribus epidemicis et contagiosis, in Peste orientali, Febre flava, Typho contagioso etc. observata est.

Constitutio epidemica identidem viribus vitalibus infensissima evasit, et plurium annorum curriculo subinde stupenda quadam malignitate desaeviit, quod epidemiae seculi XVI. et nuper constitutio epidemica seculo XVIII. ad finem vergente omnem fere Europam pervagata arguunt.

Sunt quidam morbi, iidemque truculentissimi virium vitalium hostes, qui potissimum constitutionis epidemicae progenies esse videntur. Satis erit, Sudoris illius Anglici meminisse, quem sex vel summum viginti et quatuor horarum spatio cum summo vitae periculo et ingenti virium vitalium jactura terminatum

fuisse perhibent. De epidemica hujus origine inter omnes fere coaevos observatores constabat: „Opinio erat, morbum istum neutiquam ex epidemicis illis, qui simul contagiosi sunt, et de corpore in corpus fluunt, fuisse, sed a malignitate quadam in ipso aëre, ex praedispositione tempestatum et mutationibus coeli crebris et insalubribus impressa manasse." [1]) Febrem flavam Americanorum, quamvis non plane contagionis suspicione vacuam, maxime tamen ex endemica Indiae occidentalis constitutione natam esse constat, cui quidem constitutioni endemicae tanta est in organismum humanum potestas, ut ab eadem non solum totius corporis habitum, sed etiam animi temperiem intime permutari, millenis observationibus evictum sit [2]).

Inopinata status febrium nervosi evolutio, quae absque causa manifesta repente cum summa virium vitalium clade febricitantes invadit, aliam quoque praeter pandemicam constitutionem causam sibi adsciscere videtur: contagium majori intensitatis vel malignitatis gradu praeditum. Unius ejusdemque morbi contagium sub diversis rerum circumstantiis varios perfectionis atque intensionis gradus attingere, in Typho contagioso, Peste orientali, Variolis, Scarlatina, verbo in omnibus morbis contagiosis tam acutis quam chronicis extra omnem dubitationem positum est. Contagia praeter intensitatis gradum subinde quoque qualitate immutari et peculiari quadam malignitate impraegnari, dubium quidem, minime tamen absurdum est. Conta-

---

[1]) Fr. Baconis de Verulam Historia Regni Henrici VII. p. 18. Ed. Lugd. 1647.

[2]) G. H. Gerson und N. H. Julius l. c.

gium subesse tunc maxime suspicio est, ubi ejusmodi clades jam in ipsis epidemiae cujusdam exordiis occurrunt, deinde vero, effoeto quasi contagii fervore, sensim fatiscunt [1]. In Typhi contagiosi epidemiis exordientibus homines subinde sub schemate Apoplexiae concidunt, quibus morientibus vel jam emortuis exanthema typhosum erumpit; vel morbo adeo gravi corripiuntur, ut cum summa virium vitalium resolutione intra paucas horas exspirent [2]. Qui exoriente Peste orientali prehenduntur, omnes fere tamquam syderati vel mox a contagio suscepto, vel subito tamquam fulminis ictu perculsi pereunt [3]. Notandum est, statum febrium nervosum in hac subitanea virium vitalium internecione nunquam fere tam manifesto in conspectum prodire, ut a reliquis ejusdem morbi statibus ac phaenomenis accurate discerni queat. Contagiis enim violentioribus, praesertim typhosis, pestilentis etc. id commune est, quod primario partium quarumdam irritationem vel inflammationem suscitent, simulque vires vitales gravi suppressione cito exhauriant, unde diversarum adfectionum turbae per omnem fere morbi decursum miscentur. Casus omnino ejusmodi sunt, qua-

---

[1]) E. g. Typhi contagiosi epidemia, quae anno 1813. Berolini regnavit, initio funestissima v. C. W. Hufeland über die Kriegspest alter und neuer Zeit; in dessen Journal der prakt. Heilkunde. XXXVIII Bd. 6. St. p. 61. 1814.

[2]) Talem Typhi contagiosi epidemiam descripserunt Saint-Fresne et Raisin in Recueil periodique etc. par Sedillot. Tom. XXXVII. 1810. Mars.

[3]) P. Russel, Abhandlung über die Pest etc. I. Th. p. 108. sqq. Leipzig 1792. 8.

les a cel. J. Armstrong [1]) ad Typhi congestivi censum referuntur, in quo singuli status prae nimia omnium functionum perturbatione ac tumultuaria virium suffocatione perfecte evolvi atque explicari non possunt.

In aliis febrium casibus, qui absque subitanea illa virium vitalium syderatione [2]), ideoque cum minori evolutionum febrilium perturbatione decurrunt, status febrium nervosus manifestior et ab alienis adfectionibus immunior ex causis quoque magis conspicuis ac luculentis progreditur.

Causae status febrium nervosi hucusque cognitae et manifestiores omnes id agunt, ut veram virium vitalium debilitatem inducant, normalem sensibilitatis et irritabilitatis rationem alterent, motusque febriles sustineant.

Alios homines prae aliis ad hunc statum magis proclives esse, experientia testatur. Hujus dispositionis ratio non semper liquet, accurata tamen corporis constitutionum observatione nonnulla ejusdem momenta assequi licebit.

Aetas juvenilis et virilis statui febrium nervoso maxime obnoxia est. Mirum videri possit, aetatem infantilem, etsi maxima sensibilitate insignem, minus tamen ad hunc statum dispositam esse. Quodsi vero

---

[1]) Praktische Erläuterungen über das Typhusfieber etc. Herausgegeben von C. G. Kühn. p. 65 sqq. Leipzig 1821. 8.

[2]) Haud inepte status virium Pesti peculiaris a cel. Richerand vocatur virium syderatio. Dict. des sciences méd. Tom. VIII. p. 98.

reputemus, statum hunc proprie febrilem esse, diathesin autem febrilem omnium maxime aetati juvenili et virili competere, mirum non erit, statum nervosum talem, quem diximus, in infantibus et senibus rarius observari. In utraque hac extrema aetate status nervosus charactere febrili magis obscuro pollet, et quoad sensibilitatis gradum in partes oppositas discedit, hinc in summum torporem, illinc in statum nervosum erethisticum, convulsivum. Pessimae illae infantum convulsiones, quae febribus succedunt et morte plerumque terminantur, profecto status febrium nervosi adultorum vices agere et quasi prototypon status nervosi erethistici sistere videntur. Contra in senibus decrepitis status nervosus torpidus praevalet. Diathesis torpida nullibi magis ac in senio evoluta est. Summum senium in ipsis mortis confiniis positum: Circulus sanguinis cum pulsu inaequali vel intermittente quam maxime languet, respiratio tarda, neque tamen laboriosa, appetitus dejectus, potuum spirituosorum cupido, motus difficilis, sensus obtusi, ratio vel sana et tranquilla, vel quaedam tranquillae dementiae species cum inconcinna idearum associatione; animi adfectus fere extincti. Stimuli fortissimi pulsum vix tollunt, mox iterum collapsurum. Morbi, qui iis accidunt, subito generalem debilitatis characterem recipiunt. Mors plerumque tranquilla absque convulsionibus et agone [1]).

---

[1]) Foemina 87 annorum mane animi deliquio adfligitur, quod per plura horae minuta continuat. Accitus medicus sui iterum compotem reperit. Mixtura excitans et potus vinosus propinantur. Pulsus mox normalis evadit, ratio constat. Vesperi absque omni convulsione extincta est.

Sexus uterque in hunc statum pariter pronus esse videtur, foeminae tamen aliquanto magis.

Temperamentum maxime sanguineum, minime phlegmaticum statui febrium nervoso patet.

Quaedam vitae periodi, maxime periodus pubertatis, graviditatis, puerperii, tempus fluxus menstrui.

Convalescentia praesertim ea, quae febres quascunque graviores, eccrises profusas etc. sequitur, frequens status febrium nervosi seminium est.

In genere constitutio corporis tenera ac debilis; homines delicatuli, urbium incolae vel anachoretae, quicunque demum praecoci corporis aut animi evolutione, misero et sedentario vitae genere, morbis maxime nervosis et febrilibus exhausti prae ceteris ad huncce statum dispositi sunt. Constitutionem hanc denotat functionum fere omnium, maxime vero vitalium languor, circulus sanguinis debilis, inordinatus et in congestiones ac stases pronus, pulsus debilis, inaequalis, tardus vel nimis frequens, saepius duriusculus, ex levissima quaque causa mutabilis. Appetitus etiam praeter notam gastricam languens vel depravatus; digestio laesa: ventriculi oppressio frequens vel anxietas vel cardialgia vel flatus vel horripilationes cum intercurrente calore fugaci et somnolentia post quamvis coenam. Sudores parvi et fugaces, locales, praesertim capitis, aut generales profusi, sub quovis motu erumpentes; sudores nocturni. Excretio alvina

---

Hanc aliasque egregias de vetularum morbis observationes in Nosocomio de la Salpetrière collectas communicavit cel. Pinel in Dict. des sciences méd. Tom. II. p. 403. sqq.

inordinata, urina pallida, spumosa. Calor cutis inaequalis, frigus extremitatum; motus corporis vel citra doloris sensum difficilis et segnis, vel nimium concitatus, minime tamen constans. Ex levissima corporis vel mentis intentione cita et magna delassatio. Animus pusillus.

Debilis constitutio proprio corporis habitu, gracili, extenuato, cute molli tenera, pallida etc. indicatur. Tamen ex habitu corporis non semper tuto ad systematis nervosi robur concluditur. Subinde in hominibus optime nutritis nervi debiles et maxime sensiles offenduntur; contra mens praeclara et fortis, sensus acerrimi, verbo systema nervosum firmum ac validum et adversus stimulos tum morales tum physicos juste reagens, gracili nonnunquam corpori inest [1]).

Ad causas externas referuntur:

Constitutio epidemica, quae vel annua est, vel stationaria. Stationaria minime ex notabili quapiam atmosphaerae mutatione, sed nonnisi ex regnantis morborum characteris accurata observatione cognoscitur.

Constitutionem epidemicam nervosam in genere indicant morbi quicunque tum acuti tum chronici aegros minori cum vehementia, et quasi partitis insultibus invadentes, qui systema sanguineum lenius exagitant. Febres utplurimum typo irregulariter remittente, duratione diuturniore, crisibus aut nullis aut obscuris, insuetis, irregularibus, imperfectis, tandem indole erga methodum nervinam minime obstinaci

---

[1]) J. Ch. Reil über die Erkenntnifs und Kur der Fieber. IV. Bd. p. 70. Halle 1802. 8.

distinguuntur. Denique insueta ipsius status febrium nervosi frequentia atque evolutio, quae ex alia causa derivari non potest, hanc constitutionem certissime indicat.

Sunt quaedam notabiles aëris nos ambientis mutationes, quae constitutioni nervosae evolvendae quam maxime favent: Gravitas aëris atmosphaerici specifica, indeque ejus densitas multum imminuta, quam mercurius in barometro profundius consistens indicat, exilis aëris electricitas, Auster et Africus frequentissimi, procellae cum crebris ventorum vicissitudinibus, aër humidus, tepidus, ad sensum gravis, coelum plerumque nubilum, pluviosum etc. Respondet huic constitutioni nostro in climate praesertim tempus anni ab exeunte aestate usque ad primum frigoris hyemalis adventum, maxime in regionibus Europae meridionalis, e. g. in Italia, ubi simul cum vento Scirocco ingreditur.

Constitutio epidemica nervosa praeter aërem alios quoque fontes agnoscit. Febres quaecunque, etiam seorsim a Typho contagioso, belli aliusve calamitatis publicae tempore sub qualicunque aëris statu, insigniter plerumque ad nervosum characterem inclinant. Plurimae quidem, eaeque diversissimae causae belli tempore concurrunt, quibus character febrium determinatur. Haud minimas tamen ejus rei partes ad publicam animi conditionem pertinere crediderim. Integras ex hoc uno fonte epidemias nervosas manasse, historia antiqua et novissima testatur [1]). Terror pu-

---

[1]) Fr. Zelenka Diss. de morbis popularibus mentis. Pragae 1818. 8. Inter recentiores hujusmodi epidemias eminet Chorea Sti. Viti, quae Maryvillii in Ame-

blicus, ambitio, furor, lascivia, exsultatio, desperatio etc. immaniter fluctuantes belli comites sunt [1]).

Causae status febrium nervosi sporadicae, quae veram virium vitalium debilitatem inducunt, sunt:

Alimenta prava, corrupta, fatua, digestu difficilia, parum nutrientia; abusus ciborum farinaceorum, leguminum, fructuum horaeorum etc., abusus potuum fatuorum, tepidorum, fibram relaxantium, potus theati etc. vel contra diuturna et immodica potuum calefacientium et spirituosorum ingurgitatio. Annonae caritas, alimentorum defectus, inedia. Ingestio, digestio, nutritio quomodocunque impedita.

---

rica anno 1804 apud quasdam Presbyteranorum et Anabaptistarum sectas epidemice grassata est (J. Robertson in the Philadelph. med. and phys. Journal. Part. I. vol. II. 1805.), tum mira epidemia convulsiva cum animi deliquiis, horrore, ponderis in regione epigastrica sensu etc. quae in urbe Radruth oriunda, dein per majorem Cornwalliae partem propagata nulli intra 5—80 annos aetati, neutri sexui pepercit. V. Fr. Nasse Zeitschrift für psychische Aerzte. 1818. 2tes Heft.

1) Horrenda Typhi contagiosi epidemia Torgavium anno 1813 ab hostibus occupatum tempore obsidionis devastabat. Denique omnibus sociorum obsidentium tormentis per plures dies hanc in urbem explosis, in summa rerum angustia, numerus Typho decumbentium et morientium, fortassis spe melioris fortunae, multo imminutus est, teste F. Lehmann (Beobachtung des im Jahre 1813 in Torgau herrschenden Typhus; in den Annalen der Heilkunst. 1814. August. p. 506).

Abusus pharmacorum maxime debilitantium, evacuantium, drasticorum.

Venena pleraque, imprimis narcotica.

Aër principiis suis incitantibus ac restaurantibus, oxygenio, electricitate, calore inops, aut principiis nocivis impraegnatus, maxime hominum simul inclusorum, animalium et plantarum putrescentium vel palludum exhalationibus inquinatus.

Mundities corporis neglecta, balneorum tepidorum abusus, vestitus et stragula non sufficientia, vel nimis calida.

Materiae organicae jactura. Venaesectio praepostere administrata, haemorrhagiae, fluxus menstruus vel haemorrhoidalis excedens, vomitus chronicus, diarrhoea et dysenteria, diabetes, blennorrhoea pulmonum, vesicae, urethrae, vaginae etc. Salivatio, frequens sputatio, ideoque herbae nicotianae abusus, larga suppuratio vel ulceratio, fistulae, quibus humores nobiles evacuantur, fistula salivalis, anus artificialis maxime altius ex intestinis tenuibus oriunda. Coitus praematurus aut serotinus, justo crebior aut fervidior, masturbatio, pollutiones immodicae, nocturnae, tum magis etiam diurnae.

Motus muscularis nimius, labor improbus, itinera admodum maturata, molesta, exercitia gymnastica, militaria, aliaque violentiora, coelo imprimis aestivo flagrante, aut situ corporis defatigante, aut mente simul vehementer commota, invita, conterrita, e. g. fugientium. Quies corporis neglecta, interrupta, vigiliae, somnus inquietus, aut econtra motus corporis neglectus, vita desidiosa, somnus diu protractus, matutinus.

Nimia mentis intentio, praecox facultatum animae evolutio, praematura ad scientias et artes institutio, educatio physica neglecta. Exercitia mentis nimis intenta et fervida, diuturnae lucubrationes. Studiorum selectus et ordo incongruus, neglecta exercitiorum alternatio, animique recreatio. In genere studia abstracta, mathematica, philosophica magis quam historica, maxime vero exaltatio animi enthusiastica et quasi ecstasis viribus organismi infesta sunt. Hinc musici et poëtae celebres, praesertim lyrici, mimi, theosophi mystici, fanatici etc. praematura plerumque senectute obruuntur. In his omnibus tamen haud parum valet corporis et imprimis systematis nervosi energia ac temperies nativa, proprium cujusque ingenium, vitae ratio etc. Ingens et quasi ecstatica animi intentio, sensationes fortissimae atque altissimae a quibusdam absque molestia viriumque detrimento sustinentur [1]). Nocent utique studia et artes, quae non ex interna animi inclinatione, sed vel lucri, vel ambitionis vel luxus gratia, invita plerumque Minerva, exercentur.

Animi affectus et pathemata, praecipue deprimentia, moestitia, luctus, animi desponsio, metus, terror, repentina oppressio, pudor, taedium, aversatio, poenitentia, aerumnae, curae edaces, simultates, odium, vindictae cupiditas, invidia, zelotypia, amor infelix, nostalgia etc.

Dolores et cruciatus corporis topici, diuturni.

Singula et omnia, quae hucusque enumerata sunt, momenta causalia suam ad statum febrium nervosum

---

[1]) Inter poëtas lyricos manifesto hujus rei indicio divinus Klopstock est.

generandum symbolam contribuunt et recte ideo ad remotiores ejus causas referuntur.

Quod si tamen hasce causas, earumque effectus attentius consideremus, statum febrium nervosum non ab iis solis dependere, ultro patebit. Nam, solo contagio excepto, de quo inferius dicetur, reliquarum effectus necessarius fere in sola virium vitalium debilitate cum sensibilitate nervorum vel exaltata, vel exhausta consistit: qui status utique absque febre, quin etiam absque omni morbo persistere potest et solet, atque essentialiter a statu febrium nervoso genuino diversus est. Status hic peculiaris semper cujusdam febris partem constituentem efficit, et absque febre nusquam adhuc observatus est.

Plurimos quidem medicos fuisse memini, qui febres, eas maxime, quae nervosae audiunt, ex mera debilitate ortas sustinerent, indeque etiam statum febrium nervosum omnem ex sola debilitate confici putarent. Sed falsa haec opinio jam a cel. J. V. ab Hildenbrand [1]) invictis argumentis explosa est. Febres nullas ex debilitate universim, minime vero ex debilitate nervorum ortum trahere, probant:

1) Prima et maxime essentialia cujuslibet febris phaenomena, quae ipsum systema reproductivum idiopathice ac profunde laesum luce clarius demonstrant. Appetitus dejicitur, sitis augetur, digestio, nutritio laeduntur, calor intenditur, circulus sanguinis, respiratio, secretiones et excretiones omnes turbantur, ma-

---

[1]) Ratio medendi in Schola practica Vindobonensi. Pars I. p. 239 — 247. Viennae 1809. Cf. F. L. Kreysig, Handbuch der prakt. Krankheitslehre. II. Th. p. 324.

teriae organicae consumtio [1]) per omnem febris decursum mirum quantum acceleratur. Symptomata nervosa, quibus primi febrium insultus interdum stipantur, sensus frigoris, oppressionis, delassationis, tremor, vertigo, deliria, convulsiones etc. sympathica sunt, saepius desunt, febris gradum potius quam naturam indicant, et sua sponte mox evanescunt.

2) Ipsae febres vulgo dictae nervosae, quae scilicet in praxi occurrunt, in primo suo exordio stadium a debilitate prorsus alienum agnoscunt, quod vel inflammatorium, vel gastricum, vel exanthematicum characterem ostendit, aut saltem febris simplicis irritativae phaenomena exhibet.

3) Febris genuina tum nervosa, tum alia quaevis alicui decursus, periodorum et durationis normae plus minusve definitiae adstricta est, crises solennes vel in-

---

1) Rapida haec materiae organicae consumtio quomodo ex mera debilitate derivari possit, non video. Illud vero scio, eam non abesse a febre, quae, siqua alia, maximo jure nervosae nomen nacta est, febris nimirum lenta nervosa, in cujus accuratissima descriptione Th. Willis (de morbis convulsivis cap. 8. p. 107.) adnotaverat: „Maxime admirandum erat, quam cito ab hujus morbi insultu aegrotantium carnes contabescerent, ipsique in sceleti marcorem redigerentur, cum interea nec adfuit calor immanis, qui partes solidas sensim absumeret, nec evacuatio quaevis violenta, quae illas affatim deteret." Cf. F. J. Wittmann, über die neuesten am Rheine herrschenden Volkskrankheiten. Mainz 1811.

tercisas, aut certe critica natura molimina exserit, quae a mera debilitate neque suscitari neque praestari possunt. — Typhum contagiosum crisibus manifestis ac decisivis terminari, minime rarum est; sed febrem lentam nervosam quoque subinde diaphoresi, eruptione miliari, copiosa salivatione, vomitu spontaneo, imo et alvina evacuatione optime judicari, testes sunt J. Huxham [1]), M. Stoll [2]), F. G. Vogel [3]) aliique [4]) complurimi.

4) Nulla causa debilitans, etsi potensissima, per se febrem nervosam genuinam producere valet. Potest

---

1) Opp. Tom. II. p. 89.

2) Rat. med. Tom. II. p. 37. 59.

3) Handbuch der prakt. Arzneywissenschaft. II. Th. p. 90. sqq. Stendal 1789. 8.

4) Inter recentiores e. g. P. L. Müller, Abhandlung über das schleichende Nervenfieber. Duisburg 1808. 8. p. 30. sqq. Ipse Th. Willis, princeps status febrium nervosi primarii propugnator, qui omnem in hoc morbo crisin negat, eam tamen certe vidit, ubi narrat: „Medicamentis vix ullum juvamen conferentibus, aeger usque debilior factus erat, cumque hoc ritu, supra bimestre spatium aegrotans, febrili intemperie et tussi etiam indies in pejus euntibus, obitui approximari videretur, tandem diaphoresi sponte oborta, noctibus modo singulis, modo alternis sudore copioso perfundebatur, et exinde paulatim se melius habens praedictis remediis (amygdalatis et partim cardiacis) deinceps usus intra sex hebdomadas integre convaluit." (De morbis convulsivis c. 8. obs. 1. p. 115.)

utique homo largis venaesectionibus, haemorrhagiis, remediis purgantibus, aliisque evacuationibus, inedia, pathematibus deprimentibus etc. paulatim ad maximum debilitatis gradum, atque ad mortem ipsam inde oriundam deduci; sed morbo, qui formam ac indolem febris nervosae exhiberet, ex iis solis non adficietur.

5) Si omnes potentiae nocivae considerentur, quae febribus nervosis in praxi praecedere solent, eae nunquam fere solum debilitantes, sed incitantes quoque debilitantibus diversimode intercurrentes offendentur.

Sola ergo debilitas omnem status febrium nervosi genesin non absolvit.

At quisquam fors opponet, plures potentias nocivas, quae vulgo inter causas debilitantes reponuntur, non debilitare solum, sed etiam, saltem initio, stimulare; neque esse ideo, quod earum vim febribus excitandis idoneam impugnemus: febrem tunc, si non ex debilitate, tamen cum debilitate futuram.

Nimiae corporis animique agitationes, aliaeque quamplurimae causae prius memoratae prorsus stimulo non carent, ac data corporis dispositione etiam febres suscitant. Tamen, quae exinde oritur, febris necessario non est nervosa. Omnem febrem cum debilitate nervosam esse nego. Homines plane enervatos atque exhaustos febribus diversi omnino characteris, imo et inflammatoriis, interdum afflictari, experientia docet [1]). Frequens symptomatum nervosorum turma

---

[1]) Praeter innumeras alias observationes duos istiusmodi casus maxime insignes, a G. Giannini accurate descriptos allegare licebit. V. Dessen Versuch über die Diagnose nervöser und entzündlicher Krankhei-

cum magna debilitate in quibusdam febribus observatur, quae a vero statu febrium nervoso plane alienae sunt. Ejusmodi febris est, quae neurosibus chronicis e. g. Hypochondriasi, Hysterismo etc. nonnunquam adsociatur, quae diversae indolis esse potest, longe creberrime autem plane symptomatica est [1]). In genere omnis debilitas, omnis adfectio systematis nervosi, quae non proxime ex ipsa febre proficiscuntur, sed vel jam antea praesentes febrem sibi adsciscunt, vel ex collaterali causarum actione oriundae febrem comitantur, complicationem hujus, minime vero characterem constituunt.

Attamen magna debilitas, quae potentiis superius adlatis debetur, maximam et principalem in statum febrium nervosum dispositionem efficit, duplici quidem modo: debilitas, quae cum exaltata sensibilitate est, jam a levissimis quibusque stimulis valide adficitur et in febrem abripitur; dein quaecunque vera debilitas, cui febris suboritur, causa est, quod haec in decursu suo magis praeceps in hunc statum ruat. Haec dispositio tanta esse potest, quae a vulgaribus et mitissimis potentiis adflata continuo in febrem erumpat. Febris inde nata, plerumque mitis, post aliquas reactiones cito in statum nervosum vergit, ac decursu admodum diuturno et crisibus maxime obscuris et imperfectis distinguitur.

---

ten in Harles's und Ritters neuem Journal der ausländischen med.-chir. Literatur. V. Bds. 2. St. p. 15. sqq.

1) Hanc febrem recte distinxit et observationibus illustravit H. M. Marcard, über die Natur und den Gebrauch der Bäder. Hannover 1793. p. 197 et 204.

Semper ergo ipsa febris necessaria atque efficacissima status febrium nervosi causa est, cujus status evolutio, ex conditione virium et actionum dynamicarum in febre obtinente plurimum derivanda videtur. Febris quaelibet sua sponte in veram tendit debilitatem; magnos enim semper virium vitalium motus vel saltem conatus ciet, qui, ubi aut enormes fuerint, aut, viribus jam ante febris insultum exhaustis, vel diu suppressis irriti et quasi inanes exstiterint, summa tandem virium vitalium debilitate plectantur necesse est, quae debilitas febrilis etiam reproductione pròfunde ac peculiariter laesa, denique evacuationibus tam criticis quam symptomaticis haud parum exaugetur.

Quando vires vitales antehac integrae, suborta febre, in certamen provocantur, cui, nisus moderati ope, fortiter sustinendo ac superando pares sint: tunc motus febriles omnes', nisi alia impedimenta accedant, cum insigni vigore et constantia ad crisin usque peraguntur; critica tandem explosione facta, tumultus et quasi tensiones febriles simul cum peculiari reproductionis anomalia, quae febri subest, non sine aliquo virium vitalium et materiae organicae dispendio facessunt; quae jactura tamen in stadio convalescentiae facile iterum resarcitur.

In hacce decursus febrium synopsi summum criseos momentum praetervideri non debet. Nam crisis, ut fausta sit, non dynamicas tantum organismi tensiones ac tumultus solvat, sed reproductionem quoque organismi normalem restituat necesse est. Ubi composita actionum tensione reproductio abnormis perseverat, tumultus febriles mox iterum recrudescunt, quod maxime in febribus intermittentibus conspicuum est. Sed neque ea crisis bona censenda est, quae utrum-

que scopum cum enormi virium vitalium et materiae organicae sumtu assequitur. Nascuntur subinde circa febrium terminationes diarrhoeae rebelles, sudores inundantes, aliaeque profusae evacuationes, quibus febres judicantur, sed maximo virium et materiae organicae intertrimento. Denique natura interdum crises molitur, quae indole sua febres non judicant, quantitate vero immoderata vires et materiam organicam conterunt. Tunc aestus febrilis cum insigni virium vitalium ruina usque continuat. Tales crises erroneae aut imperfectae ad uberrimos status febrium nervosi fontes pertinent.

Debilitas vera et magna, quae diversis his modis in ipso febris vigore, febre usque perseverante, evolvitur, teste experientia, cito in gravem ac peculiarem systematis nervosi labem, statum febrium nervosum abit.

Conditiones accidentales, quibus praesentibus febris in hanc abnormem evolutionem trahitur, sunt:

1) Vires vitales, praesertim systematis nervosi jam ante febris ortum prostratae.

2) Peculiaris reproductionis labes, colliquationi organicae favens, quam diathesin scorbuticam vel putridam dicunt. Haec diathesis victu pravo, aëre effluviis palludum, animalium et vegetabilium putrescentium etc. inquinato, humido, et frigido vel etiam humido et fervente, medicaminum saponaceorum, alcalinorum, resolventium, evacuantium, in primis drasticorum [1]), tum maxime mercurialium abusu etc. jam praeter febrem producitur, dyscrasiis quibusdam e. g. biliosae

---

[1]) J. Huxham (Opp. Tom. II. p. 54.) praesertim aloëtica incusat.

aut hydropicae etc. facile copulatur; plerumque tamen in febrium decursu evolvitur, et statum febrium putridum cum gravi systematis nervosi adfectione junctum constituit.

3) Primi febrium stadii curatio neglecta, perversa, mala. Hinc causa morbi intacta, oppressio virium non remota vel praepostere tentata e. g. quando adversus plethoram sanguineam emetica aut purgantia drastica, adversus statum gastricum legitimum largae venaesectiones adhibentur. Potissima vero et longe frequentissima status febrium nervosi causa est methodus excitans, stimulans, roborans et regimen nimis calidum, in primo febris stadio temere celebrata.

4) Stadium febris criticum potentiis fortioribus, remediis cujuscunque generis heroicis, inepta medicorum πολυπραγμοσύνη tentatum, vel erroribus diaeteticis aliisve rebus adversis obnoxium, quibus salutaria naturae medicatricis molimina turbantur, cohibentur, eluduntur.

Haec de omnis generis febribus valent.

Reperiuntur autem quaedam febrium species, quae suapte indole prae caeteris in hunc statum nervosum tendunt. Eae sunt:

1) Pleraeque febres contagiosae, omnium maxime Pestis orientalis, Typhus contagiosus et fortassis aliqua febris flavae species [1]), quae quidem febres jam regulari suo decursu stadium nervosum tamquam phaenomenon constantissimum explicant. Contagium ipsum pestilens et typhosum propria vi nervos obruente et quasi consopiente pollere vi-

1) Gilb. Blane, Elemente medicinischer Logik, erläutert durch praktische Beweise und Beispiele, übersetzt von V. A. Huber. p. 81. Göttingen. 1819. 8.

detur. Favent huic opinioni phaenomena, in ipso utriusque morbi exordio conspicua: peculiaris stupor, temulentia, somnolentia, vertigo, verbo status quidam narcosi vel ebrietati simillimus. Ea tamen per se sola statum nervosum genuinum non efficiunt, ipsum enim morbi initium, vigente adhuc charactere inflammatorio comitatur. Praeter hosce morbos aliae quoque febres contagiosae et exanthematicae, febris variolosa, scarlatinosa etc. statui nervoso insigniter patent.

2) Febres gastricae universim sibi relictae, in hunc statum satis pronae sunt, maxime vero febris pituitosa, quae frequenter in febrem lentam nervosam transgreditur, et febris biliosa, maxime in regionibus tropicis.

3) Febres inflammatoriae genuinae ad statum nervosum verum minime inclinant. Sunt tamen non paucae inflammationes, quibus eminens est in hunc statum propensio. Istius modi inflammationes sunt

a) superficiales et admodum diffusae. In genere inflammationes, etiamsi leviores, sed multum diffusae vires vitales citius ac certius exhauriunt, quam inflammationes phlegmonosae utut vehementissimae, tamen magis circumscriptae. Id maxime in systemate cutaneo et mucoso obtinet. Hinc inflammationes praecipue erysipelaceae et catarrhales, quae plura simul organa corripiunt, viribus vitalibus infensae sunt [1]). Magna

---

[1]) Idem probant ambustiones per magnam corporis plagam extensae, quibus aegri subinde praeter exspectationem citissime succumbunt. In deploratis ejusmodi casibus praeterea semper inflammationes membranarum mucosarum et serosarum detectae sunt a V. W. Cumin et J. Swan (the Edinburgh. med. and surg. Journal 1823. Nro. LXXVI).

pars febrium nervosarum, quas alii ex systemate nervoso primarie adfecto, alii ex sola debilitate derivabant, nuper ad inflammationes reducta est; in ipso Typho contagioso subinflammationem aut statum subinflammatorium membranarum mucosarum et partium his adnexarum maxime essentialem esse, viri cel. V. ab Hildenbrand, E. Horn innumeris observationibus comprobarunt. Alias quoque febres nervosas, quae ad typhum sporadicum referuntur, ex hoc potissimum fomite oriri, gravis testis est cel. C. F. Pommer [1]). Latentes partium internarum inflammationes toties derisae iterum pristinae dignitati redditae sunt [2]).

b) Inflammatio indolis ignotae, peculiaris, dolore utplurimum carens, maxime mucoso systemati infesta, cito in sphacelum vergens, vario nomine inclyta: inflammatio putrida, nervosa, typhosa,

---

1) L. c.

2) Praxis Incitabilistarum eo maxime damnosa erat, quod ex sophistica hypothesi flueret, inflammationem topicam veram a statu universali asthenico omnino abhorrere. Non inutile, nec injucundum erit, repetere, quae Incitabilistae cuidam satis obstinato, tamen ingenuo exciderunt: „Es bleibt räthselhaft, dafs bei der ehemaligen — ganz entgegengesetzten Methode, doch so viele glücklich durchkamen. — Viele Leser müssen sich der frappantesten Beispiele dieser Art aus dem Wien. allg. Krankenhause unter Stoll'scher Direction erinnern. Wie oft verordnete nicht Stoll bei einem hohen Grade von Typhus zum Schrecken der Umstehenden eine V. S. exploratoriam ob metum inflammationis latentis? — und die Kranken genasen." (Ein Recensent in der med. chir. Zeit. 1802. II. Bd. p. 100).

asthenica etc. dicta. Huc fortasse referendus quoque Sphacelismus (Sphacelisirungsprocefs) cel. Ph. C. Hartmanni [1]). Aliqua ejus analogia etiam est cum inflammatione venosa [2]). Inflammationes, quas diximus, occultae et latentes hujus plerumque indolis sunt, in quibus praeter febrem magnam et pessimis symptomatibus terribilem nihil plerumque est, unde inflammationem topicam suspicari fas sit. Facile itaque medici in hunc errorem inducebantur, ut febres ejusmodi nervosas ab omni adfectione locali immunes ac morbos vere generales esse crederent.

c) Inflammationes partium maxime sensibilium, Encephalitis, Myelitis, Gastritis, Enteritis etc.

d) Peritonitis puerperarum.

4) Febres putridae, quae ad statum putridum reducendae sunt, de quo jam supra dictum est.

Symptomatologia status febrium nervosi.

Status nervosus vel mox a febris insultu ingruit, vel demum in febris acme evolvitur.

In febrium exordiis vel subito homines invadit et prosternit, vel admodum mitis lento ast firmo satis gradu obrepit.

1) Theorie des ansteckenden Typhus und seiner Behandlung. Wien 1812. p. 109 sqq.

2) F. A. B. Puchelt, das Venensystem in seinen krankhaften Verhältnissen. Leipzig 1818. p. 65 sqq. et 328 sqq.

Qui subito aegros opprimit ac dejicit, prodromis caret, et post aliquas reactiones inordinatas ac tumultuarias extemplo summum stuporem inducit. Aegri quasi attoniti, temulenti, vertiginosi, ebriorum instar titubant, concidunt. Caput grave, turbidum, adspectus torvus vel admodum anxius, animi desperatio, vel summa indifferentia, dyspnoea, aphonia, anxietas, maxime epigastrica, cardialgia saepe immanis, vomituritio, vomitus plerumque mucosus aut biliosus, enormis, ardoris interni sensus cum frigore cutis marmoreo, convulsiones, paralyses, coma, carus, apoplexia summopere urgent.

Qui pedententim inter febrium initia subrepit, eum plerumque magna et diuturna constitutionis debilitas, quam supra descripsimus, praecedit, et p r o d r o m a satis manifesta annunciant: Aegri longe ante febris insultum pedibus incertis obambulant, sub levissimo nixu aut scalarum adscensu anhelantes cito fatigantur; genua dolent, vacillant, spina dorsi sensu ponderis premitur, artus tremunt; pigri, somnolenti, somno tamen minime reficiuntur, imo paulo diutius protracto pejus habent; matutino imprimis tempore, jejuno ventriculo, maxime lanquent, capitis stupore, dolore, vertigine, vagis artuum doloribus adficiuntur, pauco tamen alimento assumto paulo recreantur; horripilationes leves et vagas intercurrente calore fugaci, sufferunt; sudatiunculae hinc inde erumpunt. Animo plerumque dejecto sunt et tristi; hominum societatem meticulosi fugiunt. Sensus et mens ipsa obstupescunt. Omnium rerum taedio moventur. Tandem majori horrore et subsequo calore febris mitis ingruit ac sensim augescit. Status nervosus, qui exinde nascitur, plerumque versatilis est et in longum tempus protrahitur.

Statum nervosum, qui in ipsa febris acme evolvitur, praecedunt validae febris symptomata, vires vitales nimium concitatae aut suppressae, systematis nervosi jam ab initio valde adfecti phaenomena, capitis stupor, dolor, temulentia, summa delassatio, dolores artuum vagi, sensus horroris vel formicationis vel doloris per omnem spinae dorsalis decursum, dolor lumborum saepe excrucians, sopor, deliria, convulsiones. Comparet febris suapte indole statui nervoso evolvendo quam maxime favens. Praecedunt frequenter et critica naturae molimina, ea tamen utplurimum irrita, imperfecta, erronea; hinc evacuationes ad speciem criticae, urina hypostatica, quae tamen iterum cruda vel limpida evadit, aut turbida ac jumentosa permanet, sudor largus, diarrhoea profusa, narium stillicidia, aliaeve haemorrhagiae absque levamine contingentes, aut febre inde magis etiam accensa et capitis stupore ac dolore obtuso ingravescente. Aut contra fallax et repentina omnium symptomatum et motuum febrilium remissio, et subdolae quasi indutiae, quae absque phaenomenis criticis praeter normam et rationem (*αλόγως*) eveniunt. Topicae quoque inflammationes, catarrhi etc. appropinquante statu nervoso mitescunt vel omnino abolentur ita, ut saepe criseos demum tempore denuo in conspectum veniant. Approximatum vero statum nervosum vel jamjam praesentem tunc indicant: capitis temulentia peculiaris, vertigo, situs capitis erectus summopere molestans, susurrus aurium, obauditio; animi indifferentia, aut commotio insueta; vocis, loquelae, gesticulationis, voluntatis aut animi propensionis ratio quodammodo immutata; delirium nocturnum; lingua ex apice siccescens, transpiratio cutanea imminuta, cutis inde sicca, ejus calor saepius mordax; alvus laxior, urina limpida; motus muscularis

languens et maxime inconstans, plerumque cum artuum tremore, lingua minus volubilis, porrectu difficilis, tremula, pulsus vere debiles, parvi, molles, inaequales.

Status febrium jam evolutus pro dispositionis, febris ipsius, cui supervenit, constitutionis epidemicae etc. diversitate varias formas induit, quas singulas pertractare, hujus opusculi limites et institutum vetant. Unam ex singulis formis imaginem conflatam proponere, non juvat; siquidem istiusmodi variegata diversarum formarum compilatio et interpolatio a natura omnino abhorret, ideoque non tantum omne de iis judicium supprimit, verum etiam accuratiori earum diagnosi quam maxime adversatur. Nos itaque nonnisi ad symptomata magis essentialia advertemus, in quorum recensione ordinem sequemur comparationi et disquisitioni opportuniorem.

Veram virium vitalium debilitatem inter necessaria status febrium nervosi attributa posuimus. Primum est, ut firmata verae debilitatis notione in signa ejus certiora inquiramus.

Debilitatem vulgo quamlibet ad agendum impotentiam nuncupant; haec vero vel ex virium defectu, vel ex qualicunque earum impedimento oriri potest. Ast vero ea solum debilitas vera dici meretur, quae ex permanente virium ipsarum imminutione progreditur, difficiliori restauratione et longiori duratione a sola defatigatione distinguenda.

Debilitas vel universalis vel partialis est. Debilitas, quae praeter febrem oritur, saepius partialis est; saltem in hoc illove systemate organico diutius continetur.

Ubi systema reproductivum magnopere debilitatum est, tunc corpus ob nutritionem imperfectam

extenuatur et languet, partes solidae emaciantur, flaccescunt, et textu quodammodo mutantur, humores minus assimilantur, tandem communes leges physicae suam in organismum potestatem magis magisque recuperare videntur. Ex systemate reproductivo debilitas facillime ad reliqua systemata organica propagatur; ipsa scilicet vitae basis infestatur.

In subliniori systematis nervorum sphaera, quae potissimum functionibus animalibus praeest, debilitas longe diutius circumscripta atque separata persistere potest. Eae functiones exterius locatae sunt, et organismum cum rebus externis nectunt; earum itaque debilitas signis manifestioribus distinguitur, quae infra uberius proferentur.

In febribus debilitas itidem ex systemate reproductivo originem suam repetit, sed progressu ac propagatione ad reliqua systemata admodum praecipiti.

Quondam Incitabilistarum secta, quae omnem actionem organicam ad solam incitationem reducebat, duplicem debilitatis speciem statuit: directam, ex defectu stimulorum cum incitabilitate accumulata, indirectam, ex nimia stimulorum quantitate cum exhausta incitabilitate oriundam. Receptivitas in debilitate directa plerumque exaltata, tamen subinde quoque, imprimis temporis tractu imminuta occurrit. Contra in debilitate, quae nimiae stimulorum quantitati debetur, receptivitas non raro etiam adaucta esse consuevit, quod e. g. ex methodi calefacientis abusu in febribus aliisque morbis crebro accidit.

A plerisque Incitabilistarum praetervisa est ea virium vitalium ratio, ubi vires stimulis aliisve impedimentis obrutae et quasi suppressae longiori temporis intervallo integrae et validae sub fallaci debilitatis spe-

cie latitant, quae virium vitalium conditio, debilitatis spuriae seu adparentis nomine, quoad indolem a vera debilitate diversissima, sedulo distinguenda est.

Varia sunt repagula, quibus vires ita occluduntur, ut libere exerceri nequeant, unde fallax debilitatis imago oritur:

1) Succorum abundantia, plethora, congestio, vel etiam inflammatio nobilem partem e. g. pulmones [1]) etc. obsidens.

2) Sordes gastricae biliosae, pituitosae, verminosae, saburrales etc., quae nonnunquam lipothymiis, pulsu debili, frigore extremitatum, deliriis, aliisque signis languoris universalis manifestantur, unico tamen emetico opportune porrecto disparent.

3) Spasmi et convulsiones, quae liberam

---

[1]) Status virium suppressarum imago exemplo aptius quam vaga descriptione illustrabitur. Quinto pleuroperipneumoniae die aegro „facies pallida erat, nasus acutus, tempora collapsa, os lividum, oculi torvi, rigidi et obscuri, frigus per totum corpus, pectus cum sterno tumidum et elevatum, abdomen contra retractum, pulsus intermittens, myurus et adeo debilis, ut saepe vix percipi posset, respiratio plane interclusa, caput cum collo flaccidum, pendulum et in humeros recumbens, vivida ubique mortis imago." Administrata autem in pede venaesectione vividus color faciei, blandus calor corpori, liberior spiritus pectori et fortior ordinatiorque ictus arteriis redibat. Sputo, sudoribus et urina ad nonum morbi diem judicio integro absolutus est. D. G. Triller, Commentatio de Pleuritide Francof. 1740. 8. aeger I.

actionem praepediunt, vasa sanguifera et excretoria constringunt e. g. in Hypochondriasi, in Hysterismo. Similis status in primo febrium insultu, in stadio frigoris obtinere videtur. Huc etiam omnino referendus est status ille, a cel. A. G. Richter [1]) nervosus nuncupatus, qui ipsis febris biliosae exordiis, bile in tubum intestinalem nondum effusa, adsociatur cum anxietate praecordiali, singultu, vomituritionibus irritis vel vomitu solam pituitam rejiciente, lingua porrectu difficili, tremore universali, spasmis, doloribus artuum tensivis, pulsu duro frequente, deliriis etc.

4) Mechanica impedimenta, partium strictura, incarceratio, vasorum et nervorum interceptiones etc.

5) Potentia quaevis vehemens et organismum subito aggrediens saltem ab initio spuriam debilitatem provocat: totius corporis concussio, cerebri ac medullae spinalis commotio, viscerum abdominalium, imprimis ventriculi, hepatis, lienis, nec non testiculi contusio etc. Ipsa virium vitalium actio nimis intensa et in unum quasi focum collecta adeo non raro perturbatur, ut ad debilitatis imaginem proxime accedat, quod tam in violentis animi adfectibus e. g. in ira, quam in febrium acme criticae perturbationis tempore saepius contingit [2]).

Diagnosis hujus status saepe perardua, eoque difficilior est, quod virium vitalium suppressio diuturnior sensim in veram virium vitalium debilitatem

---

[1]) Medicinische und chirurgische Bemerkungen. I. Bd. p. 224. Linz 1794. 8.

[2]) Aegros viribus satis pollentes proxime ante crisin omnino faustam subito hac debilitatis specie afflictos saepius vidimus.

et exhaustionem abeat. Virium solummodo supressarum, ceterum adhuc vigentium haec fere signa sunt:

1) Constitutio corporis si non admodum robusta, tamen satis bona; valetudo antehac vel plane intemerata, vel saltem non exhausta.

2) Causa procatarctica manifesto excitans, vehemens, cito adfligens e. g. crapula, animi affectus, evacuatio quaepiam repente suppressa, contagium pestilens, typhosum etc. quibus vires vitales saltem ab initio sufflaminantur.

3) Causae debilitantes absentes, vel adeo leves, quibus tanta virium vitalium strages tribui nullo modo possit.

4) Morbus recens ortus, vel tamen non diu protractus. Ast morbi ipsius, cui debilitas accedit, ratio habenda. Sunt enim morbi, qui longissime absque virium vitalium detrimento persistere possunt, alii viribus infensi paucorum dierum vel horarum spatio vitam delent.

5) Symptomata magis quam in vera debilitate causis manifestis atque sibi invicem conformia; languor vires animales prae vitalibus eminentius occupans, receptivitas potius sopita quam exaltata, cum reactione non omnino dejecta, interdum etiam satis vigente, motus musculorum inde difficiles quidem et tardi, sed cum aliqua nisus constantia peracti, quinetiam fortes. Pulsus vel omnino fortes, magni, aequales, vel parvi, duri, contracti, nonnunquam fili metallici instar tensi, vel etiam ad speciem debiles, molles, suppressi, quasi in continua diastole versantes, rarius, inaequales vel intermittentes, tunc saepius dicroti, rarissime autem tremuli, vacui et quasi evanescentes. Sanguis e vena missus minime dissolutus, sed coagulabilis, saepe cru-

sta phlogistica tectus. Respiratio quidem varie laesa, tamen arteriarum pulsibus plerumque respondens, aër exspiratus neque frigens neque praeter aegri consuetudinem foetens, nisi ubi pulmones ipsi idiopathice laesi sint. Turgor vitalis minus quam in vera debilitate imminutus. Secretiones et excretiones potius suppressae quam profusae, eaeque bonae notae et saepius cum aliqua decumbentis euphoria contingentes. Calor cutis minime mordax sed blandus vel deficiens. Exanthemata saltem non pessimae notae. Sitis plerumque magna. Aversatio victus nutrientis et calefacientis. Mira interdum singularum functionum constantia, opinato debilitatis gradui non conformis: vox clara et fortis, loquela expedita, et bene composita, animus non omnino fractus etc.

6) Signa localis cujusdam adfectionis, cui tanta virium vitalium suppressio imputari potest. Signa igitur Encephalitidis, Pneumoniae, Enteritidis, status gastrici etc.

7) Typus magis continuus, remissiones obscurae, nisi suppressio virium spasmodica fuerit: etsi typus remittens, imo etiam intermittens diathesin inflammatoriam non omnino excludat [1]).

8) Remediorum effectus sedulo observati. Remedia excitantia spuriam debilitatem manifesto exasperant; methodus vero antiphlogistica, antigastrica, relaxans, sedans, verbo, methodus, quae causam hujus status aufert, apte administrata, summum levamen adducit. Ast diagnosis ex juvantibus et nocentibus suis quoque difficultatibus premitur. Maxime cavendum, ne post

---

[1]) G. Giannini l. c. p. 14.

remedii cujusdam applicationem quorumdam symptomatum exsurgentium atrocitate, aut fatiscentium lenitate decepti temere et absque ulteriori examine confestim de morbo exasperato aut victo cogitemus. Remedia scopo exploratorio nonnisi mitiora tuto adhibentur, e quibus solennis morbi mutatio prodire non potest. In hocce examine minus singulorum symptomatum violentia, quam status virium spectari debet. Parva e. g. venaesectio, quae scopo exploratorio instituitur vires suppressas non liberat, imo nonnulla symptomata exaggerat: satis erit animadvertisse, vires ab eadem non collabi e. s. p.

In vera debilitate his contraria observantur. Corpus male constitutum potentiis debilitantibus magis etiam enervatum est. Morbus cui vera debilitas adsociatur jam multum provectus aut talis est, a quo vires vitales subito prosternuntur e. g. Pestis. In quibusdam febribus e. g. in Typho contagioso vera debilitas ad certum morbi stadium adstricta est. Symptomata passim sibi invicem minus congruunt e. g. delirium ferox cum pulsu vere debili, calor mordax cum adipsia, aut suis occasionibus non respondent, e. g. a levissimo animi motu deliquium animi. Debilitas proprie et maxime vires vitales occupans. Pulsus vere debiles, molles, frequentes aut tardi, inaequales, tremuli, nonnunquam duriusculi parvi. Sanguis venis detractus aut alio modo prorumpens minori coagulabilitate praeditus, vel etiam dissolutus; turgor vitalis valde imminutus (facies Hippocratica). Secretiones et excretiones plerumque largiores, malae notae. Sudor guttatim confluens, frigidus, viscidus, foetens, totius superficiei squalor; oculi sponte lacrymantes, lemosi, os et lingua muco viscido, albicante vel livido, fusco,

nigro plenum, sputa ejusdem coloris, urina limpida, decolor, spumosa, pingui cuticula tecta, aut fusci coloris, imo et nigra, alvi solutae excrementa liquida, pallida, spumantia, pinguia, aut tenacia et livida, biliosa, immanis foetoris, sanguinolenta etc. Plerumque aliis excretionibus profusis aliae suppressae adsunt. Cutis saepe arida, aspera, lingua sicca et fissa cum alvo fusa. Aut excretiones non omnino malae notae, sed absque aegri levamine, nonnunquam etiam cum magno ejusdem incommodo et virium dispendio procedentes. Calor cutis inaequalis, fugax, subinde mordax, aut admodum imminutus. Exanthemata symptomatica, mali moris, petechiae fuscae, lividae, nigrescentes, latae, profundius sub cute latitantes, vibices, striae, miliaria hinc inde parce prodeuntia, inconstantia, alba aut livida etc. Magnus musculorum languor interdum insuperabilis, paralysi proximus, et, quamvis nonnunquam promtior, fortiori tamen nisu, constantia ac certitudine plane destitutus, cito et ingenti delassatione terminatus. Vox debilis et exilis, animi desponsio vel adiaphoria. Adfectiones locales aut nullae, aut symptomaticae aut tales, quibus summa virium exhaustio imputari queat. Typus plerumque remittens. Evidens methodi antiphlogisticae damnum, stimulis contra optime conducentibus.

Diagnosis verae debilitatis non ex singulis quibusdam momentis, verum ex omnibus rite intellectis et pensitatis manat.

G r a d u s v e r a e d e b i l i t a t i s innumeri sunt. Notabiliores saltem distinguere juvat, vires nempe simpliciter imminutas et exhaustas.

V i r i b u s v i t a l i b u s s i m p l i c i t e r i m m i n u t i s seu d e b i l i t a t i v i r i u m s i m p l i c i t e r

dictae robur reactionum labefactatum subest, atque valdopere inconstans; quod vitium tamen saepissime[1]) reactionum promtitudine, frequentia ac celeritate quodammodo compensatur. Receptivitas in hacce debilitatis specie plerumque vel immutata, vel etiam adaucta est, unde mirae functionum perturbationes et anomaliae, et crebrae symptomatum vicissitudines oriuntur. Hoc respectu etiam debilitas erethistica seu versatilis nuncupatur. Ex causis debilitantibus levioribus et maxime ex substantiae organicae decremento[2]) nascitur, in quo cum debilitate Incitabi-

---

[1]) Reactionum alacritas et frequentia, debilitati propria, potissimum a receptivitatis conditione pendet, quae tamen neque ex sola stimulorum quantitate, quod Incitabilistis videbatur, neque ex solo debilitatis gradu plane explicari potest, etiamsi cum utroque momento in quadam ratione sit. Sunt nimirum et alia momenta, quibus determinatur, parum adhuc nota. Receptivitas post maximos stimulos, viribus prorsus exhaustis nonnunquam magna et omnino stupenda accedit, e. g. gangraena imminente. Alias minor debilitatis gradus e. g. in Typho levi, insigni stupore notatur.

[2]) Materiae organicae absumtio et jactura organicam functionum harmoniam turbat, ita ut systema sensitivum prae reproductivo praevaleat. Reproductio quidem etiam in ipsis nervis obtinet, ea tamen a reliquarum partium reproductione magis separata, constantior et cum permutatione materiae organicae multo lentiore persistere videtur, quo fit, ut vis nervea, firmiori reproductione sustenta in communi materiae organicae abstersione, nisi aliae causae accedant, diutius servetur et reliquis organismi functionibus rela-

listarum directa convenit. Aetas junior, sexus foemineus, constitutio corporis tenera, gracilis, emaciata huic vitio maxime patent. Hanc debilitatem nonnulli recentiorum, praeeunte J. Ch. *Reil*, minus recte *Typhum* adpellant. — Hic virium vitalium status therapiam validius stimulantem aegerrime suffert. Corporis et animi quies, alimenta cum levissimo stimulo nutrientia, digestu facillima et medicamina leviter excitantia sensimque paulo fortiora optime conducunt.

Haec virium vitalium conditio *status febrium nervosi versatilis* basis est.

In *statu virium exhaustarum* facultas reagendi summum languorem experitur, et tantum non penitus exstincta est. Receptivitas tunc plerumque simul imminuta est. Extremus omnium functionum languor, motuum muscularium imbecillitas cum delassatione gravissima et maximus sensuum et facultatum psychicarum torpor hanc debilitatis speciem designant, quae ideo etiam *debilitas torpida* dicitur. Tandem vera musculorum, praecipue sphincterum paralysis, plumbea totius corporis gravitas superveniunt, excrementa aegro inscio secedunt, vel plane supprimuntur. Summa animi indifferentia, sopor profundus, ex quo aeger vix suscitari potest, ingruit. Turgor vitalis omnis ubique collabitur; unde peculiaris corporis ha-

---

tive praevaleat. Singulares de hac re animadversiones et observationes tradidit *Desmoulins*, über den Zustand des Nervensystems in Bezug auf Umfang und Masse bei dem nicht vom Alter abhängigen Marasmus im VI. Bde. von J. F. *Meckels* deutschem Archiv für Physiologie.

bitus, facies Hippocratica, oritur: oculi concavi, semiclausi, sursum tracti, nasus acutus, collapsa tempora, aures frigidae, contractae, flaccidae, cutis circa frontem dura, intenta et resiccata, totius faciei color ex viridi pallescens aut lividus etc. [1]). Hunc virium statum J. Ch. Reil dixit paralyticum. — In hac debilitatis specie stimulis fortissimis, maxime diffusibilibus et calefacientibus opus est, qui perpetrata organismi reactione dein iterum sensim imminuendi et cum stimulis constantioribus permutandi sunt.

Haec debilitatis species basin status febrium nervosi torpidi constituit.

In statu febrium nervoso ad veram virium vitalium debilitatem anomalae systematis nervosi actiones non parasitico modo sed necessario accedunt.

Symptomata nervosa in hoc statu obvia duplicis generis sunt: alia enim totum quantum systema nervosum graviter ac profunde laesum indicant, alia vero turbas in singulis systematis nervosi provinciis contingentes denotant. Haec, quatenus ad manifestiores systematis nervosi functiones referuntur, magis patent, ideoque jam pridem affecto systemati nervoso imputata sunt; illa vero ad generales et magis occultas systematis nervosi relationes pertinent, ideoque obscuriora sunt.

Symptomata nervosa manifestiora, ea maxime, quae turbas in singulis systematis nervosi regionibus concitatas attinent, maximam partem ad nervorum sensibilitatem et movendi facultatem exaltatam, immi-

---

[1]) V. Hippocratis lib. praenotionum in opp. sect. II. p. 56.

nutam vel alienatam reducuntur. Perceptio et motus jam in statu normali in diversis systematis nervosi provinciis varias modificationes subeunt, quod eo magis in statu abnormi obtinet.

Hujus generis symptomata statum febrium nervosum stipantia, quae in cerebrali systemate fundantur, sunt:

Exaltata sensuum externorum activitas, quae tanta nonnunquam est, ut ad molestiam, imo ad dolorem proxime accedat. Photophobia et oxyecoia in febribus nervosis ad communissima symptomata pertinent. Gustum incredibiliter exquisitum in nervoso febris flavae stadio in se ipso expertus est Bally [1]). Summam cutis sensibilitatem in Typho contagioso observavit Hafner [2]). Sensuum hallucinationes, phantasmata, aurium susurrus et bombi, pseudosmia etc. in statu febrium nervoso saepe occurrunt, et gravem saepe systematis cerebralis adfectionem annunciant. Tandem sensuum torpor, amblyopia vel amaurosis, cum pupilla plerumque dilatata, baryecoia, cophosis, anosmia imo et totius cutis sensus imminutus febrientibus saepissime accidunt.

Cerebri activitas nonnunquam in statu febrium nervoso mirum quantum exaltatur, atque in ipsis mortis confiniis subinde magna animi hilaritas, judicii acumen, consiliorum sapientia et sublimis mentis ecsta-

---

1) Du Typhus d'Amerique ou Fièvre jaune. Paris 1814. p. 216.

2) Bemerkungen über den Nosokomialtyphus während des Feldzuges 1813 — 1814 in der med. chir. Zeit. XX. Ergänz. Bd. p. 244.

sis cum divinatione observata sunt. Plerumque tamen variae activitatis cerebri alienationes occurrunt, quas communi delirii nomine comprehendimus. Delirium est actionum psychicarum perturbatio motu febrili concitata, qua fit, ut mens aegri vigilantis atque etiam inviti praeter consuetudinem a normali operationum suarum lege aberret. Rem accuratius inquirentibus una alterave animae facultas prae ceteris maxime alienata occurrit. Aut enim animi attentio imminuta est, quae rerum imaginibus potiri plane nequeat, aut ea uni omnino idearum cyclo infixa et inclusa reprehenditur; aut imaginatio in tantam idearum ubertatem varietatemque insurgit, ut judicium prorsus supprimat; aut insueta quaedam idearum adsociatio absurdissima quaeque sibique contraria miscet e. s. p. Ad designandas delirii varietates Veteres, imprimis Graeci, diversis usi sunt denominationibus, cujusmodi sunt paracope, paracrusis, paraphrosyne etc. Quae tamen denominationes, cum ab optimis quibusque auctoribus: Hippocrate, Galeno aliisque promiscue usurpantur, hodie ad veterum auctorum sensum accurate discerni vix possunt. Quapropter in accuratiori earum determinatione et distinctione ultra, quam ipsis Veteribus videbatur, progredi non juvat [1]). Deliria in statu febrium nervoso cum

[1]) Quod utique arbitrario factum video a cel. Esquirol (Dictionnaire des sciences médicales Tom. VIII. p. 254) qui praeterea nescio quod παρακρεστικὸν inter delirii varietates recenset. Vereor, ne operam cum retibus perdiderint, quicunque medicam Veterum terminologiam omnino exactam sibi constare arbitrantur. Terminologia severior longe a graphica et tamquam hieroglyphica Veterum oratione abesse videtur.

sensibilitate exaltata vel imminuta occurrunt. Exsuperante sensibilitate operationes mentis praecipitantur, turbantur; accedunt alacres animi adfectus, gaudium, spes, ira, nonnunquam terror. Deliria inde hilaria, placida, jocosa, furibunda, terrifica procedunt. Quae cum sensibilitate imminuta fiunt deliria, insignem actionum psychicarum lentorem praeseferunt, et hanc illamve animae facultatem prae ceteris languidam, attentionem obtusam, memoriam madidam, imaginationem plumbeam, judicium iners, voluntatem impotentem tunc multo luculentius produnt. Accedit animi adiaphoria vel apathia vel affectus animi tristis, moeror, timor, desperatio etc. Deliria inde tristia, mussitantia, taciturna, somnolenta (Typhomania) etc. Mira saepius phaenomena psychica inter febricitantium deliria comparent. F. B. Osiander [1]) in duabus puerperis ex febre nervosa decumbentibus furorem poëticum vidit. Alias aeger omnium, quae circa eum aguntur, bene conscius est, suos agnoscit etc., sed ideam quamdam fixam continuo prosequitur, consilia sua suspiciosus celat etc. quem statum E. Darwin [2]) maniae acutae seu temporariae speciem esse credit. Alii continuo autocheiriam animo volvunt [3]) etc. — Ex sensibilitate

---

[1]) Neue Denkwürdigkeiten für Aerzte und Geburtshelfer. I. Bds, 1. Bogenzahl. Göttingen 1797.

[2]) Zoonomie, oder Gesetze des organischen Lebens, übers. von J. D. Brandis. II Thl. 34. Abschnitt. p. 240. sqq. Pesth 1801.

[3]) Quidam febre nervosa laborans die morbi 15, cessante jam delirio, continuo ad mortem in aqua oppetendam exagitabatur, quod consilium a se ipso improbatum amicis suis narravit. Paulo post clam au-

cerebri exhausta tandem symptomata comatosa proficiscuntur. Aegri vix expergefacti iterum statim obdormiscunt (Coma somnolentum), vel admodum somnolenti, dormire tamen nequeunt, sed clausis palpebris vigilant (Coma vigil) vel adeo gravi et alto sopore detinentur, ut fere omnis sensus et motus expertes vix suscitari queant (Carus) [1]. Ad singulares sensibilitatis abnormitates systemati cerebrali proprias pertinent vertigo et temulentia. Utraque ex idea spatii et motus peculiariter turbata oritur, qua fit, ut vel aeger ipse in loco quodam constitutus, vel res externae, quae locum suum servant, moveri videantur. Differt tamen vertigo a temulentia majori sensibilitatis gradu. In vertigine enim imaginatio admodum viget; temulentia vero stuporem quemdam vertiginosum sistit.

Ad motus abnormes statui febrium nervoso familiares, qui proxime a systemate cerebrali exeunt, spectant: Oculorum convulsiva rotatio, distorsio, aut torva immobilitas; palpebrarum nystagmus, vel paralysis in alterutra parte; musculorum faciei lusus convulsivi, risus sardonius, oris in proboscidem acuminatio, aut labia retracta, musculorum faciei paralysis. Lingua tre-

---

fugit et aquae submersus est. Harsleben in J. Ch. Reils und J. Ch. Hoffbauers Beiträgen zur Beförderung einer Kurmethode auf psychischem Wege. I. Bds. 3. St. In Typhi contagiosi decursu haec animi propensio in autocheiriam adeo rara non est. V. J. H. Kopp, Beobachtungen über den ansteckenden Typhus in Hufelands Journ. XXXVIII. Bd. 5. St. 1814. p. 15.

[1]) Cf. Foesii Oecon. Hippocr.

mula, porrectu difficilis, dentium stridor, trismus [1]), aut iners oris hiatus. Loquela vel admodum concitata et praeceps, vel nimium languida ac difficilis, vel balbutiens, vel omnino sublata (Anaudia). Vox praeter aegri consuetudinem vel pulmonum etc. labem debilis, tenuis, rauca, deficiens (Aphonia). Deglutitio nonnunquam nimis prompta, alias vero difficilis, fors ex spasmis oesophagi vel motu ejus antiperistaltico. Peculiare phaenomenon sistit deglutitio sonora, passiva scilicet, et paralysi oesophagi proxima.

Ad medullae spinalis provinciam pertinent: sensus horroris, formicationis, aut doloris juxta spinae dorsalis decursum; dolores lumborum saepe immanes, febribus malignis familiares [2]), vagi artuum dolores rheumatismum mentientes, artuum dedolatio. Deglutitio in inferiori oesophagi tractu impedita, spasmodica thoracis constrictio, dyspnoea, tendinum subsultus, carphologia, crocidismus, artuum tremor, convulsiones, spasmi, paralyses; vesicae urinariae, sphincteris ani paralysis, totius corporis rigor peculiaris, Tetanus, aut inexpugnabilis musculorum languor, plumbea corporis gravitas cum situ resupino, cruribus divaricatis, et continuo corporis ad pedes relapsu.

Symptomata status nervosi, quae sensibilitatem et movendi facultatem in systemate ganglioso gravius adfectam denotant, sunt praeter appetitus et sitis anomalias, aliasque adfectiones in quavis febre obvias: Gravis et continua nausea, vomituritio, vomi-

---

1) In Typho contagioso visus ab Osthöff (in E. Horn's Arch. für med. Erfahr. III. Bds. 1. St.)

2) In febre flava saepe adeo excruciant, ut aegri lumbos sibi dilaniari autument. V. Bally l. c. p. 226.

tus, quibus aegri saepe absque nota gastrica torquentur, cardialgia, anxietas epigastrica, et praecordialis, singultus, cordis palpitatio cum pulsu inaequali, intermittente, duro, contracto; colica spasmodica, borborygmi, meteorismus spasmodicus, tenesmus, ischuria renalis, vel urinae limpidae ac tenuis secretio, magna salacitas, testiculorum adscensus, insultus hysterici, quaedam somnambulismi species [1]), hydrophobia symptomatica [2]). Contra in statu febrium nervoso maxime deplorato interdum singularis systematis gangliorum torpor accidit, qui remediis etiamsi fortissimis excuti amplius non potest.

Symptomata nervosa hucusque allegata ad eas maxime nervorum functiones spectant, quae in res externas directae sunt. Superest, ut ejus functionis nerveae symptomata consideremus, quae ipsi organismo destinatur. Eorum nonnulla jam ad systematis gangliorum anomalias relata sunt. Nam in gangliorum systemate magis elucet haec functio; tamen in reliquis nervis minime feriatur. Latet quidem haec functio; unum tamen constat, nervos singulis organismi functionibus praeesse, singulas ad unius vitae legem componere. Turbantur et in aliis morbis functiones, sed legem aut regulam quamdam servant, unde singulorum phaenomenorum nexus elucescat. In statu febrium nervoso phaenomenon constantissimum est tanta functionum disharmonia, quae ipsam unitatis organicae legem profunde laesam atque eversam manifestat: constantissi-

---

[1]) J. V. v. Hildenbrand über den ansteckenden Typhus. p. 69.

[2]) C. F. v. Pommer l. c. p. 20. 31. etc.

mae ac firmissimae functionum leges vacillant et perrumpuntur, prorsus ut ipsam functionem nervorum legislatricem et oeconomam labefactatam, ideoque nervos profunde et graviter laesos esse constet.

Haec Ataxia in statu febrium nervoso vario modo apparet [1]). Huc spectant

1) Miri ac repentini activitatis nerveae saltus e. g. magnus torpor subito in summam sensibilitatem, temulentia in singulare ingenii acumen transiliens, veternus cum delirio furioso, obauditio vel surditas cum oxyecoia, spasmi et convulsiones cum paresi, nonnunquam etiam cum deliriis cito alternantes, crebrae pulsuum vicissitudines, qui jam duri et contracti, jam molles, jam rari, jam frequentes, jam parvi, jam magni etc. continuo variant.

2) Febris decursus praecipue quoad typum et crises irregularis. Symptomatum successio, vicissitudo et typus a norma aberrant, molimina critica turbulenta, inertia, interrupta, irrita, imperfecta sunt aut omnem modum excedunt et plerumque cum nimia materiae organicae jactura, haemorrhagiis, diarrhoeis, sudoribus rebellibus aut metastasibus ad interna organa contingunt.

3) Connubium symptomatum, quae alioquin sese vicissim excludunt. Sensus frigoris cuti ad attactum calida vel etiam urente, aut vice versa, sensus ardoris praesertim partium internarum cum frigore cutis marmoreo (Lipyria Veterum), caolr localis fugax horrore intercedente, sudores parvi, locales, vagi, instabiles aut largiores absque levamine prorumpentes, cutis sicca

---

[1]) Cf. F. L. Kreysig l. c. II. Bd. p. 359.

absque nimio calore aut frigore, sudores copiosi viscidi in cute frigente, calor cutis urens, lingua arida absque siti, vel lingua humida cum siti immani, pulsus in ipsa febris exacerbatione vel in delirio furioso debiles, vacui, evanescentes, in remissione autem vel in summo collapsu elevatiores, respiratio quoad frequentiam et magnitudinem pulsibus minime respondens, respiratio difficilis, sublimis absque dolore vel oppressionis sensu. Subinde aegri cum respiratione suspiriosa, anhelosa, interrupta decumbunt, sed profundius inspirare jussi, spiritum absque molestia ducunt. Urina in morbi acme, vel tempore exacerbationis aut delirii ferocis limpida, vel a sanorum urina minime aberrans, alvus soluta stupore et dolore capitis ingravescente, meteorismus cum diarrhoea. Sensus valetudinis adversae internus et gravis, sine phaenomenis morbi notabilioribus, pervigilium, mortis metus, desperatio cum febre levi, vel magna animi indifferentia et apathia simul cum symptomatibus terrificis.

4) In summa totius organismi debilitate vis nervea omnis ad singula nervorum loca accumulata et concentrata e. g. viribus vitalibus exhaustis robur musculorum insuetum (spurium), auditus acutissimus, gustus et olfactus exquisiti etc. summum ingenii acumen instante morte.

5) Symptomata suis occasionibus minime respondentia e. g. a levi nixu summa delassatio, a pauxillo sanguine exstillato ingens debilitas et prostratio, a levissimo animi motu deliquium animi vel syncope, vel convulsio, a blando potu aut jusculo summus aestus et orgasmus. Aegri saepius denudati calore cubiculi temperato valde perhorrescunt, levissime tecti aestuant etc.

Ataxia haec nonnisi methodo excitante nervina emendari potest. Ea maxime essentialem status febrium nervosi partem constituit. Symptomata, quae prius ad singula systematis nervosi loca adduximus, ab hocce statu abesse, aliive statui e. g. inflammatorio etc. accedere possunt; haec autem novissime descripta systematis nervosi labes soli status febrium nervoso competit, cui nunquam deest. Quaedam Ataxiae species quidem etiam praeter febrem occurrit, ea tamen ab hac Ataxia febrium toto coelo discedit. Ea potissimum est, quae in Hypochondriasi et Hysterismo obtinet; sed haec 1) nunquam generalis, verum plerumque ad solum systema gangliorum, praesertim abdominis restricta est. 2) In hac ipsa regione potius exteriorem quam interiorem (oeconomam) nervorum vitam attinet nam a) maximam partem ad sensationes ac motus abnormes reducitur; symptomata itaque exserit non multum discrepantia ab iis, quae superius ad hunc locum enumerata sunt; b) quamvis in ipsa reproductionis officina posita sit, tamen longe diutissime absque reproductionis noxa persistere potest, quandoquidem istiusmodi aegros optime nutritos non paucos salutamus: et plurimis, qui majora reproductionis damna experiuntur, talis Ataxia nonnisi symptomatica accidere solet (Hypochondriasis cum materie). c) Talis Ataxia non eodem semper charactere pollet, prosunt quidem saepe nervina remedia, sed non raro etiam ad methodum antiphlogisticam refugiendum est. 3) Febris, quae ex hacce spuria Ataxia nonnunquam oritur, a vero statu febrium nervoso plane diversa est. 4) Remotior, quae inter utramque Ataxiam est, analogia facile ex functione gangliorum proxime reproductioni dicata explicari potest.

Tandem hanc veram virium vitalium debilitatem et nervorum Ataxiam, quae statum febrium nervosum constituunt, maxime distinguit character febrilis, qui ultimum et maxime necessarium hujus status attributum est. Exorto enim statu nervoso febris minime sistitur, imo continuat usque adeo, donec status nervosus finem suum attingat. In quo tamen is character febrilis proprie consistat, sentiri facilius quam dici potest; justam enim et omni opprobrio vacuam febris difinitionem adhuc valdopere desideramus.

Distinguunt febrem veram et symptomaticam.

Febris symptomatica potissimum abnormi systematis sanguinei motu absolvitur ex quacunque organismi adfectione sympathice suscitato, qui motus adfectioni primariae adesse vel etiam deesse potest, et omni paene reciproca adversus illam potestate destituitur. Hinc adfectio primaria, febre jam difflata aut pacata, immutata plerumque perstat. Crisi ergo vera caret, et nonnisi alius morbi umbra est febris symptomatica; saepissime tamen in veram febrem transit, quae cum primaria adfectione complicatur.

In febre genuina peculiaris quidam processus organicus abnormis subest, qui in diversa febre diversus est, semper tamen cum generali totius organismi reactione intimum quemdam nexum sustinet, a qua per omnem morbi decursum plane deficere non potest, donec cum ea simul auferatur. In febre genuina reactio organismi primariae adfectioni adaequata, atque in ipsum processum abnormem, qui febris basin constituit directa est, maxima itaque in hunc potestate pollet, quem proprio nutu ac nisu saepissime aufert; semper vero in crisin perficiendam intenta est. Haec organismi reactio et critica intentio in febre genuina utique supprimi vel acce-

dente vera virium debilitate et nervorum Ataxia exhauriri et ad minimum quasi momentum reduci, nunquam tamen persistente illo processu abnormi penitus auferri vel pacari potest. Quare duo saltem momenta necessaria ad characterem status nervosi febrilem producendum contribuunt:

1) Processus ille peculiaris abnormis, qui basin febris constituit, e. g. metamorphosis typhosa, variolosa etc., quem itaque febrilem status nervosi basin nominabimus.

2) Continua organismi in crises intentio.

In statu febrium nervoso critica naturae molimina praetervideri nequeunt, quae rarius quidem sufficiunt, semper tamen adsunt. Ipse typus remittens id probare videtur; nam vires vitales alternatim contra basim febrilem assurgunt, iterumque lassae ab opere suo desistunt. Rapida virium vitalium et materiae organicae consumtio, quae hunc statum maxime distinguit, facile ex nimiis atque irritis naturae medicatricis moliminibus liquet. Crebrae congestiones, vel orgasmus universalis, inflammatiunculae secundariae, abscessus, metastases, exanthemata, sudores, diarrhoeae, urinae hypostaticae, haemorrhagiae etc. etsi raro proficua, imo saepissime damnosa sint, plerumque tamen revera ex moliminibus criticis irritis, vel aberrantibus ortum ducunt, et initio saltem nonnunquam levamen adferunt. Proximi remediorum effectus status hujus sanationem non absolvunt. Febres etiam in hocce statu indolem quamdam obstinatam et pervicacem retinent. Excitantia optima nocent, nisi prudens naturae crisin molientis

ratio habeatur, et singula removeantur, quae crisin instantem turbare possint. Crisis in hocce statu remediis excitantibus apte exhibitis praeparari et sustentari, nunquam vero ad medici lubitum provocari vel dirigi, vel, si turbata fuerit, restitui potest. Optima subinde efficacissimaque remedia effectu carent, tandem levis perturbatio critica sponte nata morbum solvit. Quandoque tamen etiam vires fere omnino exhaustae (vel potius sopitae) forti quodam stimulo suscitatae et quasi commonitae crisi faustae absolvendae suffecerunt. Tandem crises manifestae, quibus status nervosus, etsi raro, cedit, criticam naturae intentionem utique supponunt.

Status nervosi basis febrilis in genere determinari non potest, quae cuique febris speciei propria est.

Status febrium nervosi producta materialia.

Status febrium nervosus per se nullum sibi proprium productum materiale largitur, quod non ex ipsa ejusdem basi febrili propullulet.

Medici quondam ex hocce statu contagium derivabant, omnesque ideo febres nervosas ad morbos contagiosos referebant.

Cum vero febris nervosa nil sit, nisi febris cujuscunque generis in statu nervoso constituta, status nervosus autem ad febres tum contagiosas, tum etiam non contagiosas accedere soleat, hinc etiam magna febrium nervosarum diversitas exoritur, quarum aliae contagiosae sunt, aliae vero, teste experientia, omni contagionis suspicione vacant.

Contagium tunc solum ipsius status nervosi productum videri possit, quando febres diversi generis, inflammatoriae, gastricae etc. in ipso morbi decursu, suborto statu nervoso, contagiosae evadunt. Sed talis status nervosus contagiosus valdopere differt ab eo, qui iisdem febribus simpliciter accedere solet:

1) Nunquam solius febris, etiamsi validissimae, prorsus neglectae aut pessime tractatae effectus est. Semper causae quaedam collaterales adsunt, unde magna suspicio est, febribus ejusmodi inflammatoriis, gastricis aliisque degeneribus praeter statum nervosum aliud quidquam subesse, quod contagionis rationem contineat.

2) Aliquae hujus depravationis causae satis notae sunt. Praecipua et communissima causa ejusmodi collateralis est aër plurimorum hominum effluviis inquinatus, diu inclusus, qui praeter statum nervosum etiam peculiarem processum organicum abnormem sui generis — processum typhosum excitat, qui proprie veram contagionis causam sustinet. Febres itaque primariae vel prorsus in Typhum transeunt, vel cum eodem complicantur.

3) Revera casus febrium hac ratione degenerum, fere, quotquot innotuerant, omnes ad Typhum contagiosum originarium respiciunt. Status nervosi in iis febribus evoluti symptomata typhosum characterem praeseferunt [1]): primariae febris symptomatibus sensim adsociantur vertigo, temulentia, stupor, typhomania, oculi suffusi, catarrhus narium, faucium, tracheae, pulmonum, siccitas linguae et cutis, baryecoia, meteorismus etc., qui status utique etiam quoad symptomata multum distat ab eo, qui iisdem febribus simpliciter accedere solet [2])

---

[1]) J. V. v. Hildenbrand l. c. p. 303.

[2]) J. V. ab Hildenbrand rat. med. Part. II. p. 214. sqq.

4) Morbus qui ex tali statu per contagionem generatur, saltem in nostro climate, semper fere verus Typhus contagiosus est.

Contagii ratio itaque non in statu nervoso, sed in specifica indole febris, cui hic status supervenit, quaerenda est.

Status febrium nervosi terminationes.

Non paucae status febrium nervosi terminationes nonnisi ex basi ejus febrili pendent, e. g. terminatio Typhi contagiosi in exulcerationem vel gangraenam viscerum abdominalium. Hoc loco itaque nonnullae terminationes adducentur, quae ad ipsum statum nervosum propius pertinent. Eae sunt

1) Terminatio in salutem. Criseos species communissima Lysis est, nonnunquam tamen etiam manifestiores crises contingunt. Via, cui crisis insistit, secundum febrium species variat; magis familiaris est per systema dermaticum, sudore modico, aequabili, vaporoso oborto.

2) Terminatio in alios morbos. Remanet subinde magna debilitas, vel totius organismi vel singularum partium, praesertim systematis nervosi, quae nonnunquam vix amplius reparari potest. Amblyopia, amaurosis, baryecoia, surditas, vertigo, animi stupor, praesertim memoriae damnum, amentia, artuum tremor, digestio prava, vomitus chronicus, diarrhoea, sudores profusi, oedemata, congestiones versus caput, pulmones et viscera abdominalia, eorum viscerum torpor, amenorrhoea, impotentia virilis, infarctus et stases, status

hecticus, Hypochondriasis, Hysterismus, aliaeque neuroses.

Febre usque continuante facillime in statum putridum transit.

3. Terminatio in mortem valde frequens est. Ratio mortis secundum febris principalis indolem variat: nervoso statui magis propria videtur Apoplexia, imprimis nervea, praeviis convulsionibus aut gravi sopore.

Status febrium nervosi signa anatomica.

In dissectis cadaveribus hominum statu febrium nervoso exstinctorum plurimae quidem, diversissimaeque mutationes repertae sunt, tamen, quae jure ad hunc statum referri possint, paucissimae aut plane nullae.

Facile sibi persuadebant medici, status hujus signa anatomica, si qua reperiri possint, imprimis in systemate nervoso esse quaerenda. Ac revera non paucae hujus systematis mutationes in cadaveribus febre nervosa defunctorum repertae sunt.

In systemate cerebrali:

Dura mater calvae firmius adhaerens [1]), vasis plurimis et sanguine turgidis rubens, ita quidem, ut interdum dura meninx hinc inde sanguine adsperso conspurcata esse videatur [2]). Glandulae Pacchioni vo-

---

1) Quod tamen omnino abnorme esse negat Dav. Craigie in the Edinburgh med. and surg. Journal. 1822. Octob. Nro. 73.

3) J. K. Renard in Hufelands Journ. der prakt. Heilkunde. 1815. Juni. p. 54. C. F. Pommer l. c. p. 87.

lumine auctae. Arachnoidea hinc inde opaca, incrassata, nonnunquam etiam excrescentiis majoribus obsita [1]), vel in substantiam gelatinosum mutata [2]), a pia matre separata, sero inter utramque effuso. Pia mater arteriis venisque sanguine turgidis ditissima [3]). Serum limpidum, sanguinolentum, lympha coagulata intra hanc et arachoideam, saepissime vero intra arachnoideam et duram matrem effusa. Sanguis extravasatus maxime inter duram matrem et cranium. Plexus choroidei sanguine turgidi, vesiculis serum continentibus obsiti (Taenia hydatigena?). Ventriculi cerebri sero limpido, sanguinolento, lympha, imo et pure [4]) impleti. Substantia cerebri corticalis intensius rubens; substantia medullaris, sanguine scatens, consistentiae solidioris [5]), vel justo mollioris [6]), exulcerata [7]).

---

1) E. g. forma et magnitudine baccae rubi idaei v. Th. Mills morbid anatomy of the brain in Typhous or Brain-Fever. Dublin 1818. Case 10.

2) J. J. Reufs Wesen der Exantheme. I. Th. §. 60.

3) Hoc phaenomenon in Typho contagioso constantissimum esse existimat Lor. v. Vest in den Beobachtungen und Abhandlungen der österreichischen Aerzte. I. Bd. 1819. p. 257.

4) J. Pringle Beobachtungen über die Krankheiten der Armee. Altenburg 1772. 8. p. 355.

5) Chambon de Montaux observationes clinicae. Paris 1789. obs. 29. — J. J. Reufs l. c. §. 64. 65. 66. — Th. Mills l. c. passim.

6) Th. Mills l. c. case 6.

7) J. Pringle l. c.

Medulla spinalis sero aut lympha effusis obruta, inflammata, hinc inde exulcerata [1]).

Ganglia nervi sympathici, praesertim plexus coeliaci volumine aucta, solida, dura, sanguine plurimo scatentia vel albicantia, exsanguia [2]). Nervi jam abdominales, jam pectorales rubicundi, eorum vaginae plurimis vasis sanguineis suffusae, substantia vero intus rubore obscuro squalens [3]).

Reliqui nervi simili modo adfecti, nimirum vel eorum vaginae copiosissimis vasis turgidis notatae [4]), vel substantia sanguine intime perfusa [5]). — Medullarem nervorum substantiam peculiari modo alienatam, nempe in pulpam quandam minoris consistentiae permutatam et in emulsionem facile cum aqua distillata redigendam, deinde adhibito microscopio solari, globulos medullares volumine auctos, ellipticos, ex serie sua remotos, constanter in Typhosorum dissectione sibi occurrisse contendit C. A. Weinhold [6]).

Ast vero non pauci in statu febrium nervoso perierunt, in quorum cadaveribus sedulo dissectis et ex-

---

1) L. Brera Giornale di Medicina pratica. 1812. vol. II. fasc. 4.

2) C. Meuth über das Fieber im Allgemeinen etc. Mainz 1822. p. 48.

3) J. H. F. Autenrieth, über den innern Zusammenhang des Typhus, der Masern etc. in den Tübinger Blättern für Naturwissenschaft und Arzneikunde 1815. I. Bds. 1. St.

4) Lor. v. Vest. l. c. p. 255.

5) J. Ch. Reil exercitationes anat. de structura nervorum. Halae 1796. p. 20.

6) Kritische Blicke auf das Wesen des Nervenfiebers und seine Behandlung. Dresden 1814. p. 13.

ploratis nulla plane systematis nervosi mutatio apparebat. Occurrunt observationes febrium nervosarum cum vehementissimis phaenomenis cephalicis, in quibus ne minima quidem cerebri ejusve tunicarum inflammatio post mortem se prodidit [1]. Cel. E. Horn [2]) in cadaveribus Typho contagioso defunctorum cerebrum ejusque tunicas multo rarius, quam alia organa, tubum intestinalem, pulmones, etc. inflammata reperit: ita ut in cavo encephali inflammationis vestigia vix in decimo quoque cadavere occurrerent [3]. In Typho sporadico eadem plane ratio obtinuit [4]. Post Typhum sporadicum praeterea medulla spinalis, nervi cerebrales, spinales, nervus vagus, phrenicus, intercostalis, colore. forma, textura et cohaesione, quoad nudis oculis explorari poterant, ne minimum quidem aberrarunt [5]. Contra vero post diversissimos morbos phaenomena in cerebro detecta sunt iis, quae supra attulimus, simillima [6].

Signa itaque anatomica in systemate nervoso hucdum observata cum statu febrium nervoso minime cohaerent.

---

1) N. Friedreich, Werth der Leichenöffnungen zur Bestimmung, Typhus sey Hirnentzündung. Würzburg 1814.

2) Archiv für medicinische Erfahrung. Jahrg. 1817. 1. Hft. p. 90., 113., 119.

3) C. W. Hufeland, über die Kriegspest alter und neuer Zeit; in dessen Journ. der prakt. Heilk. 1814. 6. St. p. 78.

4) C. F. Pommer, l. c. p. 65.

5) C. F. Pommer, l. c. p. 25. 26.

6) N. Friedreich, l. c. Pommer, l. c.

tris temporibus medici, praeeuntibus Ph. C. Haann[1]) V. ab Hildebrand[2]) et E. Horn[3]) in contagioso ad insignem membranarum mucos, totiusque systematis dermatici adfectionem dilis attenderunt. Pulmones, ventriculus, intestin par, lien, vesica urinaria etc. in hoc morbo m manifesta inflammationis vestigia longe frequentis referunt. Nuper C. F. Pommer similem m narum mucosarum adfectionem in Typho spora btinere, multis et accuratis cadaverum sectio- n monstravit. In omni casu organa thoracis et a nis, imprimis ventriculum, ileom, pulmones e chia, praeterea autem et alia organa, hepar, l vesicam urinariam, cor etc. inflamata, emol- l ncrassata, exulcerata, hinc inde concreta vel g nosa reperit. Tales alienationes semper simul i que cavo, thoracis puta et abdominis, occurre- etiamsi nullis in aegro vivente symptomatibus entur. Sicubi nonnunquam aliorum organorum encephali [4]), cordis [5]) etc. alienationes simul ad- forma et decursus morbi inde non mutabatur. signa anatomica cum in omnibus cadaverum sec- as a cel. Pommer diverso tempore (undecim an- spatio) institutis constantissima apparuerint a medicorum attentione et continuato examine sunt, tum maxime, cum in cadaveribus homi-

---

L. c.

L. c.

L. c. nec non in opere suo: Erfahrungen über die Heilung des ansteckenden Nerven- und Lazareths-fiebers etc. Berlin 1814. 8.

L. c. p. 63.

L. c. p. 53.

num Peste orientali, febre flava aliisque febribus affinibus exstinctorum anatomia mutationes admodum analogas detexerit. Etiamsi itaque non ausim decernere, omnem omnino statum febrium nervosum in tali membranarum mucosarum adfectione fundari, cum non paucae exstent Typhi contagiosi observationes, ubi accurata extispicia eas membranas ne minimum quidem mutatas demonstraverint [1]; latentes tamen membranarum mucosarum inflammationes ad statum illum frequentissime accedere, quin et frequentissimas ejus causas esse, absque erroris metu pronunciare licet. Nihilominus tamen signa anatomica in membranis mucosis observata potius ad febrem principalem, cui status nervosus supervenit, quam ad ipsum statum nervosum spectant. Nam 1) signa anatomica rarissime de statu ullo morboso distincta haberi possunt, siquidem mutationes in cadaveribus repertae plerumque totius processus morbosi effectus sunt. 2) Status nervosus neque Typhum contagiosum, neque sporadicum omnem constituit. Etiam in communicatis Typhi sporadici historiis [2]) stadium primum inflammatorium a subsequenti nervoso satis luculenter discerni potest. 3) Signa anatomica eadem aut certe maxime analoga post febres observata sunt, a quibus status nervosus nonnunquam abesse solet, e. gr. post febrem pituitosam [3]).

---

1) E. Horn, in seinem Arch. für medic. Erfah. Jahrg. 1818. März und April p. 223. 224.

2) C. F. Pommer, l. c. p. 17 — 61. cf. p. 5.

3) C. G. Wagler, Tractatus de morbo mucoso. Ed. Wrisberg, Gott. 1783. — M. Ström, (Observationes medicae de febri sic dicta pituitosa in Actis reg. Societatis med. Havn. Vol. IV. 1803.) catarrhum

Status febrium nervosus ergo hucusque signis anatomicis sibi propriis caret.

Quaedam corollaria.

Status febrium nervosus est status verae virium vitalium debilitatis ataxicus, febris cujusdam effectus et pars constituens. Status hic

1) ab omni statu debilitatis, et statu quocunque nervoso, qui citra febrem occurrit, quoad phaenomena et indolem essentialiter differt;

2) febrem nunquam producit, sed ipsius febris effectus est;

3) cuilibet febri accedere potest, quibusdam tamen febrium speciebus prae ceteris maxime familiaris est;

4) naturam febris non constituit, sed characterem solum immutat;

5) febris naturam, cui supervenit, retinet, ideoque secundum febrium species, quibus accedit, diversissimus est e. g. alius in febre gastrica, alius in variolis, alius in Typho, alius in Peste etc.

6) Febris itaque nervosa, quae propriae speciei sit, non existit. Hinc febris nervosae ita dictae genuinae

---

quemdam infantum observavit cum signis inflammatoriis fere omnium membranarum mucosarum, tracheae, praesertim bronchiorum, ventriculi, tubi intestinalis, oesophagi, ipsiusque vesicae urinariae; morbus quidem longe frequentissime statum nervosum attigit, nonnunquam tamen etiam ab eodem immunis perstitit.

descriptiones adeo vagae ac diversissimarum febrium particulis variegatae, aut contra ita abstractae et ad solum statum nervosum restrictae, ut morbum sui similem in natura non inveniant.

7) Stadium febris irritativum, quod nunquan abest, saepius tam cito ac leniter praeterit, ut non paucos observatores effugerit.

8) Status febrium nervosus non solum secundum febrium species, quibus accedit, verum etiam secundum constitutionem epidemicam, aegri dispositionem etc. variat. Hinc tanta epidemiarum nervosarum varietas Quin et Typhus contagiosus, si homines dysenteria, diarrhoea etc. antea exhaustos corripit, peculiarem formam induit, a communi suo decursu aberrantem febri lentae nervosae non absimilem [1]).

9) Etiamsi vero status nervosus febris naturam non constituit, tamen in quavis febre momentum adeo grave sistit, ut semper principalem, et non raro valem indicationem therapeuticam largiatur.

---

[1]) Egregiam talis Typhi descriptionem praebet Hauer. Bemerkungen über den Nosokomialtyphus während des Feldzuges 1813—1814 mit Rücksichten auf dieselbe Krankheit in den Jahren 1809 — 1810. I der med. chir. Zeit. XX. Ergänz. Bd. p. 243 sqq.

Theses.

1. Morborum diagnosis, quae sola symptomatum o servatione nititur, manca est, neque praxi recte istituendae sufficit.

2. Ratio vires medicaminum explorandi princeps est, uae experimentis in aegris ipsis institutis nititur.

3. on est, quod omnia medicamina composita ab- cemus.

4. st quaedam inter putredinem et statum ita dic- um putridum adfinitas.

5. Iethodus medendi specifica, opportune recteque dhibita, optima, sed non vice versa optima me- endi methodus semper specifica est.

6. leraque symptomata nervosa in statu febrium ervoso accidentalia sunt.

7. ebris nervosa, quae propriae speciei sit, non xistit.

8. yphi sporadici notio nondum plane constituta est.

9. ebris lenta nervosa proxime ad ideam febris ner- osae genuinae accedit: revera tamen diversarum ebrium schema est.

10. Scorbutus et morbus maculosus Werlhofii non gradu solo differunt.

11. Diversae methodi cataractam operandi hucusque cognitae id non praestant, ut extractione catarac- tae carere possimus.

12. Die Entzündung erleidet im Sehorgane so beträchtliche Modificationen, dafs die allgemeinen Grundsätze der antiphlogistischen Methode auf die meisten derselben nur mit grofser Beschränkung angewandt werden können.

13. Um die sogenannte Operation der Thränensackfistel zu unternehmen, ist es nicht nohwendig, das Ende der Blennorrhoe des Thränensackes abzuwarten.

14. Beers Ansicht der staphylomatösen Metamorphose der Hornhaut ist noch immer di wahrscheinlichste und für die Behandlung dieserKrankheit die fruchtbarste.

15. Die Coëxistenz der Pupillensperre mit einm abnormen Zustande der Krystalllinse und iher Kapsel ist keine absolute Gegenanzeige der künstlichen Pupillenbildung.

16. Der schwarze Staar ist nicht durchaus unheilbar.

17. Die Augenheilkunde kann sich in der Trnnung von der gesammten Heilkunde weder als Vissenschaft noch als Kunst behaupten.

18. Die in der neuern Zeit zur Unterbindung er Gefäfse empfohlenen Darmsaiten stehen in Insicht der Sicherheit den gewöhnlichen Unterbinungsfäden nach.

19. Bei der Operation des eingeklemmten Leisterruchs verdient der innere Leistenring eben so vl Berücksichtigung, wie der äufere.

20. Oft kann verweigerte Mittheilung der Geridtsakten den Gerichtsarzt aufser Stand setzen dem Richter ein genügendes Gutachten abzugebe

21. Das Dispensiren der Arzneien ist den Aerztenicht einzuräumen.

Pragae:
Typis Sommerianis.
1824.